AUTHOR:

LINDEN, EUGEN

TITLE:

DE BELLO CIVILI SULLANO...

PLACE:

FRIBURGI BRISIGAVORUM

DATE:

1896

Master Negative #

93-81450-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

 Linden, Eugen,
De bello civili Sullano...scripsit Eugenius Linden... Friburgi Brisigavorum, ex officina Wagneri, 1896.
68 p. 22 cm.

Thesis, Freiburg.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5 28 93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

LINDEN
De bello civili Sullano.

DE

BELLO CIVILI SULLANO

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE ALBERTO-LUDOVICIANAE FRIBURGENSIS

RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT

EUGENIUS LINDEN
PFULLENDORFENSIS.

FRIBURGI BRISIGAVORUM
EX OFFICINA C. A. WAGNERI
1896.

ERNESTO FABRICIO

S.

1*

De bello civili Sullano cum disputare in animo sit, primum omnibus, qui id descripserunt, auctoribus enumeratis maxime deinde quaerendum erit, quae sit operum, quae aetatem tulerint, historicorum indoles atque natura, quae ratio inter ea intercedat, quibus e fontibus manaverint. Quo facto firmum nacti erimus fundamentum, quo nisi in altera commentationis parte res bello Sullano gestas earumque temporum ordinem accurate poterimus constituere.

Pars prior.

Fontes.

I. De Sullanarum rerum scriptoribus.

Ante omnes Sullanorum temporum scriptores aequales ponendi erunt, in quibus L. Cornelius Sulla primum locum tenet. De ipsius enim vita et rebus gestis commentariorum libros viginti duos conscripsit, quorum novissimum, quem imperfectum reliquerat, Cornelius Epicadus, eius libertus, supplevit. Deinde eorundem temporum historiarum auctorem appello L. Cornelium Sisennam, qui et iuvenis historiarum erat scriptor et senior opus belli socialis Sullanique edidit. Atque teste Sallustio (Jug. 95, 2) hic Sullae res optime et diligentissime omnium, qui eas dixere, persecutus parum libero ore loquebatur i. e. ut vir primarius res, quibus de nobili optimatium fama aliquid detraxisset, reticebat. Tum eisdem temporibus ac Sisenna aequales adiuncti erant Valerius Antias et Q. Claudius Quadrigarius. Atque illius historiarum ambitus a prima urbis

origine usque ad Sullae mortem pertinebat, huius annales certe temporum inde ab a. 390 usque ad a. 82 a. Chr. n. spatium complectebantur. Postremo inter auctores, qui eiusdem fuerunt aetatis ac Sulla, Posidonius Apamensis commemorandus est, qui Polybii historias continuavit easque descripta Sullae dictatura absolvit[1]. Quibus scriptoribus adici liceat Cornelium Nepotem, quem in opere de viris illustribus Sullae quoque vitam composuisse viri docti coniecerunt[2], et C. Sallustium Crispum, cuius historias brevior bellorum civilium expositio praecessit[3].

Ex eis auctoribus, qui proximis post primum bellum civile temporibus Augusti et eo, quod sequitur, saeculo vixerunt, primum Titi Livii et Diodori Siculi mentionem facere liceat, quorum operum ruinae tantum nobis servatae sunt. Livii enim libri 85—89, in quibus bellum civile Sullanum narratum erat, interierunt; tamen in periocha et apud P. Annium Florum epit. 2, 9, Eutropium, breviar. 5, 7—9, Paulum Orosium hist. adv. pag. 5, 20—21 eorum reliquiae exstant. Quare, ne longus sim, in hac dissertationis parte Livii nomine eas breviter significabo. Quae ex Diodori rerum Sullanarum narratione temporum iniquitati restiterunt, fragmenta sunt l. 38 et 39. Deinde Fenestellam affero et Strabonem. Quorum illum in annalibus bellum civile Sullanum memoriae prodidisse e loco Plutarchi in vita Sullae c. 28 intellegimus et, cum esset scriptor diligentissimus, haud parvi momenti illud opus fuisse videtur. Hic stoicus scripsit historica hypomnemata, quibus Polybii historias, id quod iam ante eum Posidonius fecerat, minimum usque ad a. 27 a. Chr. n. produxit[4]. Tum haud in-

[1] Non possum satis mirari nuperrime G. F. Ungerum exstitisse, qui Posidonium in opere historico res anno a. Chr. n. 85 gestas extremas tractasse contenderet (cfr. Philolog. 55, 1 (1896) p. 73 sqq.). Quae opinio quam perversa sit, id infra, cum disputatio ad Appiani et Plutarchi fontes pervenerit, dilucide apparebit.

[2] W. Soltau, annal. philol. t. 153, 154, 2 (1896) p. 130 sq.

[3] B. Maurenbrecher, Sall. hist. rel. f. 2 (Lipsiae 1893), p. 1.

[4] Otto, Strabonis historicorum fragmenta, Leipz. Stud. 11 Suppl. (1889) p. 13 sqq.

fimo loco numerandus est C. Velleius Paterculus, qui in secundo libro historiae Romanae c. 25—29 Sullanam tempestatem tractavit. Praeter hunc reliqui sunt duo fontes uberrimi Plutarchus et Appianus, quorum alter in vitis Sullae c. 27—30 et Pompei c. 6—8, alter in bellorum civilium libro primo c. 79—96 res bello Sullano gestas perscripsit. Multo autem diligentius bellum civile Sullanum Cassius Dio tractaverat; sed priores eius libri usque ad l. 36 praeter nonnullas reliquias deperditi sunt.

Postremo non neglegendi erunt Valerius Maximus, Julius Exuperantius, Anonymus de viris illustribus, alii, qui nonnullis locis earum, quae in Sullanam aetatem cadunt, rerum mentionem faciant.

II. De ratione inter scriptores a viris doctis adhuc constituta.

Primi belli civilis scriptoribus allatis proximum est, ut exponam, quid adhuc viri docti de rationibus dixerint, quae inter singulos huius aetatis fontes intercederent. Neque vero meum erit omnes sententias hac in re umquam propositas denuo retractare. Nam nuperrime Georgius Busoltius egregia illa dissertatione 'Quellenkritische Beiträge zur Geschichte der römischen Revolutionszeit', quae Fleckeisenii annalibus inserta et tomo 141 p. 321 sqq., 405 sqq. emissa est, summa ingenii acie totam rem omnium, qui de ea scripserunt, ratione habita ad liquidum perduxit. Sed longum est, omnia hic repetere, quae vir ille doctus exposuerit; summam tantum eius disputationis complecti et in medium proferre liceat.

Atque a Diodori relatione profectus mirum inter hanc et Posidonii fragmenta saepissime consensum animadverti posse statuit eaque observatione nisus Diodorum in describenda a Gracchanis tumultibus usque ad Sullae dictaturam aetate Posidonii historiam fontem adhibuisse luculentissime demonstravit. Deinde Plutarchum et Appianum persaepe et rebus narratis et ipsis verbis tam aperte inter se congruere, ut nemo dubitare posset, quin uterque ad unum

eundemque primarium fontem Graecum referendus esset. Quem fuisse Posidonium necessitate confirmari, quae exstaret inter Diodori et illorum relationem. Plutarchum vero, ubi ab Appiani memoria discreparet, aut Livium inspexisse aut reconditiores quosdam fontes, in quibus Rutilius Rufus, Cornelius Nepos, Fenestella, inprimis autem Sulla et Strabo appellandi essent. Item Appianum in nonnullis historiae particulis ex Livio sua deprompsisse, sed in primo bello civili enarrando eum Posidonium secutum esse. Livium denique Posidonium ad exterorum res, ad Italicorum describendas fontes adiisse, qui ab eo minime penderent, Cornelium Sullam, Rutilium Rufum, Claudium Quadrigarium, Valerium Antiatem.

Schwartzii sententiam, quam nuperrime de Appiano protulit (Pauly-Wissowa, 2, 1 p. 216 sqq.), quaestione de fonte huius auctoris absoluta tractabimus.

Gravissimorum scriptorum inter se condicione in universum exposita nostram de belli civilis Sullani fontibus quaestionem etsi a Busoltio iam incohatam nondum tamen profligatam quominus ad exitum adducamus nihil obstat.

III. De fontium ratione diligentius disputatur.

Ut cruentissimis proeliis ferro inter se decernunt duces adversarii, sic stilo rem gerunt utriusque partis scriptores, qui saepissime re ipsa confecta in idem fere illorum certamen iterum descendunt, alii ut de victoris fama et gloria aliquid detrahant victumque ab aequalium posteriorumque contumeliis defendant, alii ut ipsorum virtute glorientur, adversariorum facta reprehendant, criminationes repellant. Cuius controversiae vestigia rerum memoriae impressa posteritatis oblivione haudquaquam solent exstingui. Itaque primo obtutu apparet e primi belli civilis scriptoribus Livium et Velleium in Sullae ratione florere, Diodorum et Appianum adversarios eius favore complecti, Plutarchum modo illius modo horum partium esse patronum.

Quae cum ita sint, in rerum discordiis certam quandam iudicandi et adsentiendi notam adepti sumus. Neque enim omnibus scriptoribus eandem fidem et auctoritatem attribuemus, immo acriter diiudicandum erit, utrum in scriptore versemur, qui Sullae quasi accusationem susceperit, an auctorem habeamus, qui criminationes ei allatas refellere conatus sit. Incorruptam autem rerum fidem in medio quaeremus. — Atque primum quidem in scriptores, qui optimatium vel potius Sullae fautores et adiutores erant, inquiramus et initium disputationis a Livio faciamus.

1. De Livio.

Praeter Livii operis fragmenta si nihil superesset, de singulis rebus accuratius cognoscendis omnino erat desperandum; sed quae exstant ad intellegendum sufficiunt, quanam scribendi ratione usus sit. Secundum enim hunc auctorem Sulla summam continentiam et temperantiam prae se tulit idemque ita legatis a senatu missis respondit, ut lenissima eius postulata patribus iusta viderentur, sed adversariorum odio implacabili, ne convenirent, effectum est. Deinde illud praecipue in Liviana relatione tenetur Sullam coactum tantum senatorum, qui ex urbe fugientes in Asiam et Graeciam ad eum venerant, precibus bellum in Italiam transtulisse, ut periclitanti, immo iam paene perditae patriae opem ferret. Quid mirum, quod, cum Apuliae litus attigisset, omnis nobilitas ex tota Italia in castra eius se conferebat et Italicorum quoque studia ad eum inclinabant? Tum summo pacis amore in Norbanum se praestitit, quocum manus conserere vix in animum inducere posset; ipsa vero legatorum sanctitate ab eo violata pugnandi necessitas quasi iniecta est. Atque victoria a Norbano reportata patriam civium sanguine inundare adeo perhorruit, ut cum Scipione, altero consule, per omnia id ageret, ut pacem iungeret, nec potuit.

Haec sunt, quae ex primi belli anni descriptione ad iudicandam Livii rationem afferri possunt, proximi anni narrationis in periocha et in epitomis tam pauca fragmenta insuper ad nudas res attinentia servata sunt, quibus iudicium nostrum confirmari non possit. Nonnulla ut Flori epitomatoris optimatium caedis indignatio Samnitiumque ex-

peditionis cum Pyrrhi et Hannibalis comparatio quid ponderis nostrae rei addant, infra de Velleio videbimus tractaturi.

Livius igitur totus pro Sullae partibus stetit et, ut tumultus culpam adversariis eius assignaret, omnibus viribus conixus est. Neque res difficilis erit, ad quemnam fontem eius memoria referenda sit, explorare. Nimirum fons erit, cuius auctor ipse Sullanis partibus addictus fuerit. Quales habemus Sullae commentarios et Sisennae historias. Neque vero utrum ex Sulla an ex Sisenna Livius hauserit, puto posse enucleari.

2. De Velleio.

Gravissimae Vellei narrationis proprietates optime ex hisce possunt cognosci:

Iam in Asia Sullae magus quidam Parthorum legatorum, quos ad eum primum omnium Romanorum missos esse Velleius laudabundus dicit, caelestem vitam atque memoriam praenuntiat. Deinde eum vehementer collaudat, quod, priusquam in Italiam ad ulciscendos inimicos revertisset, exterorum populi Romani hostium opes fregerit. Neque minus eius laudem scribit, cum in Italia ita pacis amantem eum se praestitisse dicit, ut non belli vindex, sed pacis auctor venisse omnibus videretur. Denique eximiam eius erga Dianam religionem ac pietatem silentio minime praeteriit.

Ex rebus insequenti anno gestis duas habemus, quae eo modo a Velleio traduntur, ut rationem quam persecutus sit scribendi amplius possimus perspicere. Senatores enim et pontificem maximum Marii iussu, priusquam ad Sacriportum depugnaretur, interfectos esse summa animi indignatione prodidit et admiratione quadam gloriam Calpurniae, quae viro iugulato se ipsa gladio transfixisset, in sempiternam posteritatis memoriam propagavit. Neque minus mirum est, quod tam horridis verbis, quantum periculum res publica Samnitium insurrectione adiisset et quam insolenter in rem Romanam Pontius Telesinus invectus esset, exposuerit.

Ut igitur Vellei in bello Sullano describendo consilium paucis verbis exprimamus, is enixe operam dedit, ut quam

posset ornatissime Sullam rem cum adversariis sine omni caede et sanguine componere et transigere in animo habuisse demonstraret. Itaque cum Livio egregie consentit, tantum quod Sulla laudando extra omnem prodit modum. Nam apud Livium Sulla optimatium precibus permotus, ut patriae hostes debellaret, cum exercitu in Italiam transvehitur; in Vellei historia non alius est ac 'pacis auctor', quem acie cum civibus decertasse vix tanquam in transitu comperimus. Quare, cum supra quaerentes, unde Livius narrationem petiisset, in medio reliquerimus, ex Sulla an ex Sisenna, nunc Velleium Sullae commentarios si non solum, at certe praecipuum fontem ante oculos habuisse statuere licet.

Quod si perpendimus cetera quoque eius descriptionis singularia intelleguntur. Sulla enim se Fortunae filium et a dis dilectum esse arbitratus suarum rerum prosperitatem et rationes, quae cum caelestibus sibi fuissent, diligentissime semper perscripsit (cfr. Plut. Sull. 6). Tum quod Marii crudelitatem et periculum, in quo urbs Samnitium seditione versata esset, Velleius atrocioribus Livio depicta habet coloribus, Sulla rerum illius auctore optime explicatur, qui optimatibus occisis summo dolore affectus huius facinoris irae in commentariis scribendis certe non moderatus sit. Similiter in quod Samnitium expeditione urbs vocata esset discrimen, ita, ut fit apud Velleium, nemo descripsit, nisi Sulla ipse, quo maiora eius servata de re publica merita viderentur atque splendidior victoria.

Sed ad examinandos rerum auctores, qui populari ratione ducti historias conscripserint, transeamus.

3. De Diodoro Siculo.

Diodori bibliothecae historicae quamquam frustula ad Sullanam aetatem pertinentia hodie supersunt, tamen eorum ambitus tantum complectitur, ut huius scriptoris ratione constituta, quibus e fontibus materiam conquisiverit, pro certo ponere possimus.

Etenim ut de singulis fragmentis eo ordine referam, quo in editione Dindorfiana enumerata sunt, fr. 38, 9, 10 militarem

Pompei vitam, conscribendorum militum navitatem virtutemque bellandi summis laudibus effert. Deinde fr. 38, 12 disertissime exponit militum veteranorum haud paucos ex sua voluntate Marii legionibus sese immiscuisse, cum quibus belli pericula communicarent. Proximo fr. 38, 13, quo delectus in Italia a Sullanis et popularibus certatim habiti continentur, explanat, quibus angustiis Italici pressi fuerint, quantumque afuerit, ut ad Sullae causam fortiter et confidenter se adiungerent. Tum fr. 38, 14, quod fidem a Sulla frustra sollicitatam honestissime in Marium retinuerit, Perpernae Diodorus laudem impertit. Denique fr. 38, 15, 16 Marii contra Sullam pugnantis virtutem celebrat, nec minus quod secundo rerum exitu desperato per servum sese interemerit, et Scipionem, quod sine ullo certamine in hostium manus inciderit, militum perfidia excusat. Fr. 38, 17, quo de senatoribus a Damasippo trucidatis agitur, quantum valeat ad nostram rem illustrandam, infra de Appiano disputaturus demonstrabo.

Si igitur quaerimus, quae Diodori narrationis maxime propria fuerint, hic nihil antiquius habuit, quam ut Sulla quasi obscurato Marianarum partium rem quam clarrissimo posset lumine illustraret.

Atque auctorem, ex quo relationem petierit, indagantes ut rectam viam ingrederemur, Diodorus ipse vestigia demonstravit. Etenim cum Pompeio honestissimum rerum gestarum monumentum constitueret, eum ex scriptore hausisse veri est simillimum, qui praecipue Pompeium diligeret. Talis Posidonius fuit, quocum Pompeius a. 67 et 62 a. Chr. n. in insula Rhodo coniunctissime et familiarissime vivebat. Atque profecto iam Busoltius l. l. p. 431, 437 Diodori narrationem, quatenus de Pompeio facta esset, ad Posidonium redire recte cognovit, qui haud raro auctoritate ac studio eorum, quos rerum testes adiisset, in scribenda historia ductus esset. Ex eodem fonte reliqua quoque Diodori narrationis manasse infra videbimus Appiani historiae id, quod ad nostram rem spectat, perscrutati.

4. De Appiano.

Ut singulos locos, qui ad Appiani sententiam, quam habuerit de rebus a Sulla gestis, cognoscendam alicuius momenti sint, alium post alium colligam, primum capita 77 et 78 libri bellorum civilium primi excutienda erunt, quae praelusionem et praecursionem totius belli insequentis continent. Atque ex his illud luculentissime apparet tantum afuisse, ut Sulla de pace cogitaret, ut contra omnem cum adversariis reconciliationem respueret. Quapropter Romae omnes iusto timore perterriti erant, cum, quin ille exercitum non dimissurus esset et iam tunc de dominatione cogitaret, dubitari non posset. Deinde c. 80 Pompei Sullanae rei studium atque industria cum voluptate quadam ab Appiano praedicatur. Quibus vero consiliis huius opinione Sulla cum exercitu in Italiam transierit, omnibus perspicuum est, qui c. 81 et 82 percensuerint, 'animo enim supra quam dici potest infenso, dissimulato tamen etiam tunc paulisper adversus inimicos proficiscebatur'. Cuius rei haud ignari qui in urbe erant, nullius rei Sullam nisi caedium, direptionum, regni cupidum esse clamitantes ex delictorum in absentem illum commissorum conscientia cum consulibus conspirabant. Quare ut summam de Appiano disputationis, quatenus adhuc licet, extricemus, Sulla omni ope et opera enixus est, ut adversarios ultus tyrannidem occuparet.

Quam autem rationem Sulla inierit, ut eo, quo intendebat, perveniret, ex iis quae sequuntur capitibus accuratius cognoscitur. Nam cum Scipione consule quamquam pacis condiciones tractabat, tamen adeo non de pace cogitavit, ut exercitum eius ad defectionem sollicitare se posse speraret. Illiberalissime igitur apud Appianum agit (c. 84).

Scipio deinde qualis ab Appiano habeatur, e ratione elicere possumus, qua in Sullam de Suessa capta expostulantem se gesserit. Hoc enim iudicante obsides ei reddidit 'sive facti conscius sive incertus, quid responderet', ita ut aut perfidiae scelere obstrictus aut homo animi praesentia haud magna praeditus nobis videatur. Quae cum ita fuerint,

non mirum est, quod exercitus eo, quod consul fecisset, offensus duce inscio proditionis derelicto ad hostes transiit. Quibus omnibus rebus Scipionis auctoritas prorsus elevatur, qui Appiani quoque iudicio indignissimum imperatorem se praebuit (c. 85).

Nec igitur Sullae nec Scipioni auctor favit.

Si priusquam longius progrediamur, ex iis, quae adhuc constituta sunt, quaestionem proferimus, a quibus scriptoribus Appianus narrationem mutuatus sit, ad hanc solvendam eius relatione cum Livii et Vellei collata permultum lucrabimur. Nec hercle novis ratiocinationibus opus est, ut probem, quam ineptum sit putare eisdem fontibus, quibus Appianus, eos hortulos suos irrigasse; tantum et Sullanae expeditionis opinione et singularum rerum gestarum accurata commemoratione inter se distant. Apud enim Velleium Sullam pacis auctorem, apud Livium patriae vindicem, apud Appianum, ut ita dicam, civium trucidatorem habemus. Tum ut singulos locos perlustremus, quibus Appianus a Livii et Vellei memoria recedat, Sulla apud Appianum senatus legatis non tam leniter respondet ut in Livii narratione totusque apud hunc suae utilitatis est immemor, cum non suam, immo civium a Cinna pulsorum restitutionem postulaverit. Deinde in Appiani relatione Sullam ante pugnam de pace legatos ad Norbanum misisse nihil legimus et iterum Livius et Velleius de dolo ac fallaciis, quibus a primo Sulla Scipionem deludere studuerit, prorsus tacent. Postremo quod ad pugnae locum attinet, quo Sulla et Norbanus arma contulerint, Appianus Canusium (vel Casilinum), Livius et Velleius montem Tifata appellant. Appianus igitur nec e Sullae commentariis nec Sisennae historiis nec ex alio quodam scriptore ad eos redeunte quicquam delibavit.

Proximum erit, ut inter Diodori et Appiani opera historica comparationem instituamus. Atque ut pro Livio et Velleio nihil, sic pro Diodoro omnia faciunt, ut Appianum ex huius primario fonte hausisse ponamus. Cuius rei gravissimum quidem et firmissimum argumentum in consensu rationum apud utrumque scriptorem a Sullanis rebus aversissimarum situm est. Neque ad singula si descenderis, concordiam minus conspicuam deprehendes. Pompeius enim et ab Appiano (c. 80) et a Diodoro (fr. 38, 9, 10) consonis laudibus effertur. Deinde Scipionis militum ad Sullam defectionem eodem modo apud Diodorum narratam fuisse, quo apud Appianum, inde sequitur, quod ille consulis exercitum a Sulla pecunia emptum esse tradidit. Quare si plura omnino non exstarent indicia, Diodorum et Appianum ad unum eundemque fontem redire, Posidonium dico, quem Diodori auctorem cognovimus, iam nunc sine scrupulis contendi posset. Tamen accedunt alia argumenta permulta, quorum vi coniuncta id effectum iri spero, ut Appiano, quem sequeretur in bello civili Sullano describendo, auctorem Posidonium fuisse liquido confirmari possit. Neque enim, ut hanc quaestionem statim absolvam, cum Diodori narratio tot habeat singularia, quae apud Appianum legentibus minime occurrant, quaeque hic ex illo certe desumpsisset, deinde cum in Appiani relatione res inveniantur, quas apud Diodorum frustra quaesiveris, Appianus Diodorum inspexisse putandus est. Alteram vero quaestionem, num per Strabonem vel alium posterioris aetatis scriptorem res in Appiani et Plutarchi, qui item saepe Posidonio utebatur, historias influxerint, deperditis eorum testimoniis in medio relinquere debemus; tamen ego de Appiano et Plutarcho, quatenus hic Posidonium adhibuit, ita semper dixerim, ut illud fieri potuisse haud obliviscar.

At Posidonium cum alibi optimatium partes foveret, in enarrando bello civili Sullano repente ad popularium studium inclinasse mirum fortasse videtur. Sed, quod iam supra p. 12 monui, in scribenda historia saepenumero auctorum suorum patronus erat. Belli autem civilis Sullani auctor eius praeter Pompeium Norbanus fuit consul, qui a. 82 a. Chr. n. ex Italia Rhodum fugiebat. Quod cum iam Busoltius in universum constituerit, totam Appiani operis indolem et naturam si diligentius perpensitaverimus, clarius elucebit. Norbanum vero Posidonio res a Sulla gestas quam posset invidiosissime optimatibus descripsisse culpamque po-

pularium cladis a se ipso ad ceteros eorum duces quoquo modo reiecisse consentaneum est.

Cuius rei si rationem habemus, illud primum explicatur, cur Appianus (c. 85) pugnae ad Canusium commissae, ex qua Norbanus inferior discedebat, in transcursu tantum mentionem fecerit. Nimirum Norbano molestissimum fuit multa de ipsius ignominia verba facere, contra Scipionis calamitatem atque muneris imperatorii inertiam eo pluribus facile dixit. Eodem modo in c. 86 Norbanum ipsum tanquam loquentem nos audire contenderim, ubi Appianus de legatis agit, quos Sulla post Scipionis exercitus transitum ad Norbanum misit. Qui verbis 'ὡς ἔοικε' 'ut consentaneum erat' quasi gloriatur, quod sua cautione Sullae consilia etiam alterius consulis exercitus sollicitandi conturbata sint. Hoc iam Busoltius p. 436 leviter significavit. Tum ex eodem capite aliud indicium percipiendum est, quo demonstratur Appianum eandem dedisse relationem ac Diodorum. Sicut enim huius testimonio permulti veteranorum ad Marii exercitum sese congregaverunt, ita Appiano auctore in dies consulum copiae magis magisque auctae sunt. Utriusque igitur studium in populariam partes deductum erat.

Ad res proximo anno gestas ut nos convertamus, id, quod viri docti iam pridem cognoverunt Appianum in singulis historiae partibus describendis unum semper auctorem expressisse denuo stabilitur.

Nam c. 87 Appianum debere Posidonio et ex eo, quod a rebus, quas Mariani exsecuti fuerint, proficiscitur et ex consensu eiusdem cum Diodori narratione firmiter concludi potest. Congruenter enim cum Diodoro Marium summa fortitudine cum Sulla pugnasse litteris custodivit.

Proximum est, ut de ratione dicam, quae Appiano cum Livio et Velleio intercedat. Quorum operum indolem atque naturam si respicimus, inter eos et Appianum hic ullam exstitisse necessitudinem omni probabilitatis specie caret. Sed eorum relationum tam pauca temporum iniquitati restiterunt, ut iudicium omnino sit cohibendum. Tamen E. Klebsius[1] Appianum, ut in describendo primo bello civili totus a Livio penderet, etiam his locis eum secutum esse opinatus est. Neque vero rationes ab hoc viro docto coactae probabiles sunt. Consentiunt quidem certe Livius et Appianus, si ut Klebsius ad ea tantum spectamus, quae totam rem causamque contineant. At huiusmodi calculis subductis asseveranter affirmare scriptores, qui easdem res tradant et quorum alter insuper per reliquias supersit, ex eisdem fontibus hausisse audacter iudicantis est. Immo si quid ex Livii fragmentis erui possit, maximus pro Sullanis pugna circum Capuam caesorum Marianorum numerus, qui a Floro et Orosio exhibetur, ad Sullanum fontem revocandus erit. Livium igitur et Velleium etiam in hac narrationis parte eosdem fontes secutos esse, quos in prioribus veri est simillimum.

In c. 88 Appianus eundem Posidonium exscripsit. Hoc discrepantiis, quae sunt inter illum et Livium ac Velleium, dilucide probatur.

Agitur enim de optimatibus Marii iussu per Damasippum interfectis. Qua in re gravissimum est, quod Livius (per. 86; Or. 5, 20; Flor. 2, 9) et Velleius (2, 26) Marium ante pugnam ad Sacriportum commissam, Appianus (c. 88) post eam confectam Damasippo mandatum eorum occidendorum dedisse testantur. Itaque apud Livium et Velleium optimatium habemus criminationem, apud Appianum popularium defensionem. Apparet igitur, quam perverse Klebsius iudicium fecerit, qui ab Appiano Livium esse adhibitum dicat arbitratus non casu effectum esse, ut ambo eosdem senatores nominatim afferrent omni, quae in urbe erat, nobilitate trucidata. Contra, quod ab omnibus scriptoribus iidem tantum nominantur interfecti, cogendum est praeter hos nobilium neminem necatum esse, praesertim cum plurimi iam pridem in tutum sese recepissent. Sulla vero vel Sisenna, quorum alteruter haud dubie in Livii relatione subest, de industria, ut inimicos invidiosos redderent, plures dixerunt occisos, quam veritas pateretur.

[1] De scriptoribus aetatis Sullanae, Berol. 1876, p. 24, 28.

Adicienda sunt alia huiusmodi argumenta, quae etsi per se infirmiora, tamen coniuncta cum ceteris et ipsa aliquid ponderis nanciscantur. In Appiani enim historia Brutus, praetor urbanus, apud Livium et Velleium Damasippus praetor est, qui a Mario senatores trucidare iubetur. Atque caeduntur secundum Livium tres in curia Hostilia, Scaevola, pontifex maximus, in vestibulo aedis Vestae, secundum Appianum senatorum duo in curia non accuratius significata, tertius in eius foribus, Scaevola non longe ab ea. Qua in re Livius, cum populares ne in penetralibus quidem templorum hominibus pepercisse enarravit, iterum fidem superiecit. Quam veritatis traiectionem ad quod factum eius auctor annexuerit, quodque veri granum ex ea percipi possit, ex Appiani relationis consensu cum Diodori emergit, cuius opinione aedes Vestae sanguine non maculata sit; unde Scaevolam foris interfectum esse concludendum est. Appiani vero a Diodoro loci discrepantia ex nota illius in locis indicandis neglegentia explicatur.

Iam venimus ad res in urbe et in Italia septentrionali gestas, quarum diligentissima apud Appianum expositio reperitur. Quem in hac quoque belli civilis Sullani parte materiam ex Posidonio arcessisse ne ponamus, nihil obstat, immo nonnulla certa inveniuntur indicia, quibus in eodem fonte eum permansisse elucet. Nam c. 88 ex. Sullani exercitus partes ab oppidanis, praeter quos transibant, metu esse receptas Appianus congruenter dicit cum eis, quae c. 82 de populi quas Sullae sustineret exspectationibus explanaverat. Nec hoc in Sullae commentariis scriptum fuisse puto nec illud ex eo fonte fluxisse, Romanis, 'quod fame laborarent et quod iam assuevissent pro praesentibus malis graviora semper alia perferre', Sullae in urbem recipiendi, ut Graecorum proverbium est, fuisse proram ac puppim. Deinde Appianus (c. 89), ad quas poenas Sulla adversarios, quorum bona publicata sub hasta venderet, destinaverit, satis superque declarat. Neque est, quod miremur Sullae orationem in populi contione habitam ad sedandos animos pertinuisse, prudentia scilicet, ut cum moderatione ageret, adducebatur,

cum quae expetebat nondum consecutus esset. Quae relationes non magis Sullano fonti reddendae sunt quam cruenta illa, quae sequitur, Neapolis expugnatio nocturna proditione effecta, quae Sullae infamiam tantum inferre potuerit. At evidentissime Posidonius Appiani fons hoc exemplo cognoscitur. Appianus enim ad Clusium ita pugnatum esse enarrat, ut aequo proelio discederetur, secundum Livium (per. 88) Carbonis exercitus a Sulla caesus est. Sullani igitur victoriam sibi vindicabant, id quod Livius in Sullano tantum fonte invenire potuit, populares, quos Posidonius sequebatur, hoc negabant. Denique Appianus Pompeium praecipuo favore complexus res ab eo gestas tam diligenter perscripsit, ut totum c. 90 e Posidonio excerptum esse pro certo affirmari possit.

Maxima vero eorum, quae de Posidonio Appiani rerum auctore posuimus, documenta e c. 91 et 92 capi possunt, quod primum monuisse Busoltii meritum est. Longe enim aliter prae ceteris proeliorum descriptionibus de Carbonis et Norbani clade ad Faventiam accepta memoria facta est. Nam cum ex relatione pugnae ad Casilinum commissae (App. c. 85) Norbanum acie victum esse aegre perspiciamus, fieri non potuit, quin quae ad Faventiam gesta essent eodem modo obscurata in angustum deducerentur, quippe qua clade totus populariium exercitus Gallia Cisalpina amissa dilaberetur. Sed maxime mirum est, quod Appianus Norbani et Carbonis culpae tot rationes obtendere studet, neque minus quod Norbani ex Italia fugae excusationes affert quam potest plurimas. Pro acerrimo hoc Norbani inertiae patrocinio in c. 92 Carbonis fugae vituperatio plane in contrarium abit. Qui apud Appianum in multo inferiore gratia est quam Norbanus, quamquam hic ante illum exercitum dereliquit, cum res in ultimum discrimen nondum evasisset. Haec omnia liquent, si Appianum e Posidonio, cui Norbanus auctor esset, hausisse respicimus.

Eundem fontem in alterius proelii ad Clusium commissi narratione (c. 92) cognoscimus. Ubi Appianus Pompeium copias a Carbone derelictas concidisse tradit, Velleius earum

victores duos Servilios nominat. Qui nodus ita solvendus erit, ut Appiani relationem ad Posidonium referamus, qui vera a Pompeio, altero auctore, facillime comperire potuerit.

In enarranda pugna ad portam Collinam commissa qualem fontem Appianus adhibuerit, comparatione cum Plutarcho instituta infra videbimus.

Postremo quod ad Marii mortem attinet, Appianus (c. 94) et Diodorus (fr. 37, 29; 38, 15) eum circa Praeneste in fossa subterranea interiisse consentientes tradunt. Itaque in hac quoque parte ambo Posidonium vestigiis persequuntur.

Appiani igitur de bello Sullano memoria omnis Posidonio vindicanda est et narrationis eius proprietates ex philosophi Rhodii cum Norbano et Pompeio consuetudine explicantur. Nec nimis violentum mihi videtur dicere consulem Posidonio belli Sullani descriptionis exemplum exarasse. Sed, quam accurata huius operis imago Appiani narratione expressa sit, incertum est. Neque tamen ullam habemus causam, cur eam rebus, quae in fabularum censum essent referendae, illustratam aut veritatem dedita opera depravatam et mendaciis contaminatam esse ponamus. Quare E. Schwartzii iudicium, quod nuperrime de Appiano historico fecit (cfr. l. l. p. 8 comm. meae), in b. c. 1, c. 77—96 minime quadrat. Qui discrepantias Appiano cum ceteris scriptoribus intercedentes medio quodam fonte supposito explicare studuit, cuius auctor singulas memorias, ut novitate legentium animos delectaret, aut de industria immutasset aut historiae libidinose inseruisset. Atque 'firmissima' Schwartzii argumenta ex primi belli civilis relatione congesta (cfr. l. l. p. 225) quam non sint firma, ex eis, quae p. 17 comm. meae exposui et argument. adn. 6, 8, 14, 60 demonstrabo, elucet. Itaque sine erroris periculo Appiani narrationem ad historiam restituendam adhibebimus.

Postremo quod ad Sallustium Appiani fontem attinet, iam Maurenbrecher (l. l. f. 1, p. 9), qui singulariter in illius fragmenta inquisivit, Appiano usque ad (I.) c. 106 per Strabonem Posidonii memorias praebitas esse contendit neque eum ex Sallustio hausisse nisi inde a. c. 106.

Quibus quaestionibus absolutis transitus patet ad eam, ex quonam fonte Plutarchus, modo Sullae, modo popularium fautor, sua deprompserit.

5. De Plutarchi vita Sullae.

Plutarchus ut vir erat summa litterarum scientia et immensa lectione, complures plerumque fontes simul adibat et ex iis, quidquid ad usum suum idoneum visum erat, colligebat et non fere sine arte inter se contexebat. Quae cum ita sint, difficillimum esset, ex quonam scriptore Plutarchus in singulis vitarum partibus penderet, diiudicare, nisi auctores nobis servati essent, inter quos et Plutarchum certae quaedam intercedunt rationes, Livium dico et Appianum. Iam enim supra p. 7, 8 Appianum et Plutarchum multis locis tam mirum in modum inter se congruere dixi, ut communis aliquis utriusque relationum fons statuendus sit, quem Posidonium fuisse Busoltius pulcherrime ostendit. Sed quod ad primum bellum civile, a Plutarcho in vita Sullae narratum, attinet, vir ille doctus rem extremis, ut dicitur, digitis attigit adeoque non exhausit, ut permulta mihi relicta sint, ad quae illustranda operam studiumque conferrem.

Atque singula ut consideremus, in c. 27 Sulla ipse ter testis citatur. Deinde et res ipsae ad Sullae commentarios ducunt et optime cum Livii et Vellei memoria consentiunt. Nam quod Plutarchus milites Dyrrhachii ipsos ultro iurasse mansuros se cum Sulla neque sua sponte Italicos ullo maleficio affecturos esse tradit, hoc optime cum pacis illo auctore Vellei congruit, cuius narrationem Sullae commentariis vindicavimus. Hic idem militum erga se liberalitatem, quorum in ipsum voluntatibus de industria gloriaretur, quin in commentariis prodiderit, nemo dubitabit. Tum prodigia a Plutarcho enarrata Sullae prosperum fortunae flatum ostendunt, apud Appianum, a quo Plutarchus mire recedit, di populum Romanum Sullae adventu iam perterritum insuper prodigiis atrocissimis de impendentibus belli malis praemonent. Aperte vero Plutarchus Appiano obloquitur, cum dicit Sullam et Norbanum circa montem Tifata arma con-

tulisse, contra cum Livio et Velleio egregie consentit. Postremo quod ad pugnam attinet, qua Licinius Lucullus Carbonianos vicerit, Plutarchus et iterum de loco cum Appiano discrepat et tanta inter illam miracula evenisse memoriae tradit, ut hanc narrationem optimo iure ad Sullae commentarios referamus. Totum igitur caput 27 Plutarchus ex Sulla desumpsit.

Proximo capite 28 quae narrantur prorsus diversa sunt. Versutia enim et calliditas in Plutarchi descriptione Sullae eiusque militum maxime sunt propriae et eadem fraude Sulla copias a Scipione avertit, qua apud Diodorum et Appianum. Tum Plutarchus congruenter cum Diodoro illos argento a Sullanis correptos esse refert. Posidonium igitur ab eo huius capitis auctorem esse electum cum iam nunc confidenter possit pronuntiari, praeterea in ipsa narratione Posidonii testimonia inveniuntur. Carbonis enim, popularium ducis, dictum de Sullae versutia haud dubie ex Posidonii, popularium scriptoris, historia fluxit. Deinde similitudinem, qua Sullae cohortes, quibus Scipionis milites allexit, cum avibus comparantur, iterum apud Posidonium repperit, qui non solum ex maris (cfr. Diod. 34, 6) et fluviorum (cfr. App. c. 64), sed etiam animalium regione imagines et translationes capiebat[1]. Itaque totum si spectamus, c. 28 parte priore Posidonii relationem in breve coegit nec pauca illa, quae plura habet quam Diodorus et Appianus, horum memoriae repugnant.

Sequuntur eodem c. 28 et c. 29 pugnae ad Sacriportum et ad portam Collinam Sulla ipso duce commissae. Quas cum Plutarchus diligentissime perscripserit, res in Italia septentrionali a legatis Sullanis gestas paucis praetervolavit. Neque enim historias, sed vitas virorum clarissimorum chartae mandavit multoque magis, quae ad mores, indoles, ingenia illustranda conferrent, complexus est, quam singula facta simplici et ieiuna narratione posteritati tradidit.

Atque primo quidem adspectu, quae de priore popularium clade a Plutarcho traduntur, ex eodem fonte ex quo

[1] Busolt l. l. p. 434 adn.

Appianus hausit, fluxisse videntur. Busoltius enim p. 433 adn. eos vel ad verbum inter se consentire praecipue commemoravit:

App. c. 87: τὰς πύλας ἀπέκλεισαν (sc. Praenestini) καὶ Μάριον καλωδίοις ἀνιμήσαντο. c. 90: . . ἐξελέσθαι τῆς πολιορκίας.	Plut. c. 28: Μάριος . . . τὰς πύλας εὗρε κεκλειμένας· καλωδίου δὲ . ἀφεθέντος . . ἀνελήφθη. c. 29: . . ἐξαρπασόμενος τῆς πολιορκίας.

Haec bene inter se congruere nemo negabit, sed inde de fontibus aliquid concludere neutiquam licet. Quid tandem duo scriptores faciant, ne eadem facta simplicissima similibus vocabulis exponant? Immo de fontibus si videmus, primum monendum est Sullam in describenda ad Sacriportum pugna a Plutarcho nominatim laudari. Deinde res et ibi et ad portam Collinam a Sullanis gestas, quaeque eis acciderint, hic tam diligenter perscribit, ut auctorem eius pro Sullanis partibus stetisse et omnia illa coram vidisse certum sit. Quod in Appianum minime cadit, qui a Marianis exorsus eorum res complectatur. Nimirum Posidonius, auctor eius, a Norbano, qui proeliis illis non interfuit et omnino popularium erat partium, de Sullanis nihil cognovit.

A Plutarcho vero, id quod modo indicavi, via nobis demonstratur, qua ad scopum pervenimus, quem Appianus numquam attigit. Narrationes enim de somnio, quo Sulla, ut pugnam cum Mario iniret, commotus sit, et de salute, quam ad portam Collinam ei equiso attulerit, in eius commentariis scriptas fuisse firmissime asseverari potest. Atque quod Plutarchus vocabulis 'λέγεται' et 'φασίν' Sullae Apollinis invocationem affert neque eius ipsius auctoritatem invocat, hoc inde ortum esse puto, quod ille, ut vir erat plurima lectione, memoriae fidens saepenumero fontes ante oculos non haberet, sed in universum se hoc illud apud scriptorem aliquem legisse indicaret[1]. Sed accedunt alia Sullani fontis indicia. Etenim ut enarrans quae Dyrrhachii gerebantur res Sulla militum in ipsum voluntates celebrare non neglexit, ita oc-

[1] Fortasse hoc loco etiam Cornelium Nepotem inspexit, qui easdem narratiunculas in Sullae vitam receperit.

casionem virtutis eorum laudandae, quam cum Mario pugnantes praestitissent, cupide arripuit. Eodem modo forte illud et memorabile nobilissimorum iuvenum optimatium facinus, qui eruptione ex urbe contra Samnites facta mortem pro eo oppetebant, in commentariis minime credo silentio praeteriit.

Plutarchi vero cum Livio (per. 88; Or. 5, 20, 21; Flor. 2, 9; Eutrop. 5, 8) et Velleio (2, 27) collatione facta nova lux affulget. Qui quod opinantur pugna ad portam Collinam commissa nihil aliud esse decretum, nisi utrum futura esset res publica Romana necne, idem Plutarchum credidisse Dolabellae et Torquati verbis confirmatur 'οὐ γὰρ Κάρβωνα καὶ Μάριον, ἀλλὰ Σαυνίτας καὶ Λευκανούς, τὰ ἔχθιστα τῇ Ῥώμῃ καὶ τὰ πολεμικώτατα φῦλα συμφέρεσθαι': ubi 'τὰ ἔχθιστα τῇ Ῥώμῃ', additamentum minime necessarium, cum Vellei verbis Telesino datis, 'Romano nomini infestissimus' optime concordat. Notatu autem dignissimus consensus est, qui inter Plutarchi verba 'πολεμιστὴς ἀνὴρ καὶ μεγάλων ἀγώνων ἔμπειρος' (sc. Telesinus) et Vellei 'vir animi fortis bellique peritus' intercedat. Etenim si tam aperte inter se concinunt duorum scriptorum verba, quae abunde posita ad minores tantum res attinent, ad eundem fontem ea referenda esse facile tibi persuadeas. Tum apud Plutarchum pariter atque apud Velleium Sullae victoria a Samnitibus reportata Telesini ostentationibus ad irritum redactis maior videtur, praesertim cum ille velut athleta laboribus iam confectus ab integro hoc petitus sit. Denique Plutarchus et Velleius pugnam ad portam Collinam, cum advesperasceret, omissam esse ambo testantur.

Plutarchus igitur in c. 28 et 29 Sullae commentarios in usum suum convertit. Appianus autem in enarrando proelio ad portam Collinam commisso Posidonium secutus est. Hoc et causis supra iam allatis et quae inter eius et Plutarchi relationem permultae intercedant rerum singularum discrepantiis apparet.

6. De Plutarchi vita Pompei et Cassio Dione.

Quod ad fontem a Plutarcho in vita Pompei adhibitum attinet, quid facilius est suspicatu, quam eum, qui in

describenda Sullae vita Posidonium iam adiret, multo magis de Pompeio hunc in usum suum convertisse, quippe qui disertissime gloriam amici primo bello civili partam litteris custodivisset? Atque profecto certa Posidonii vestigia in Plutarchi relatione exstant. Nam imaginem, qua Sullae castra portus appellantur (c. 6), in quem nobilissimus quisque et praestantissimus passim venerit, ex Posidonio desumpsisse videtur, utpote qui praeter ceteras translationes a mari delibatas in deliciis haberet (cfr. p. 22). Tum res ipsas a Pompeio in agro Piceno gestas (c. 6—8) ita omnes Plutarchus exponit, ut ad scriptorem revocandae sint, cuius auctor earum ipse fuerit spectator. Quae ratio Posidonio cum Pompeio intercessit.

Alteram quaestionem, ex quonam fonte Cassius Dio hauserit, ut cum Plutarcho coniungamus, verbis illius (fr. 107) 'συνεκρίθη δὲ (sc. Pompeius) ὑπὸ Πλουτάρχου Ἀγησιλάῳ τῷ Λακεδαιμονίῳ' admonemur, quibus eum in Pompei rebus describendis Plutarchum ante oculos habuisse appareat. Quod vero Pompei pro Sullana re industriam et posteriorem magnitudinem similiter effert ac Diodorus (38, 9) et Appianus (c. 80), quorum uterque ad Posidonium redit, eo id, quod modo statuimus, Plutarchum in vita Pompei (c. 6—8) ex Posidonio hausisse denuo confirmatur. Sed praeter Plutarchum alium scriptorem Dio adhibuit, cum, quae (fr. 106) de Q. Caecilio Metello Pio memoriae tradidit, apud eum nusquam commemorentur. Neque vero haec fontem Sullanum resipiunt, immo ad Appiani de Metello relationem optime quadrant. Tum quod (fr. 106) Sullam ad certam victoriae spem iam elatum improbissimi cuiusque et obscuro loco nati hominis opera humiliter usum esse prodidit, quaeque (fr. 109) de animi eius post victoriam partam commutatione dixit, quamquam cum Plutarcho (Sull. 30) in universum conspirant, tamen adeo sunt plura, ut ex alio fonte, Posidonio dico, qui a Sulla animo fuerit aversissimo, ea manasse poni oporteat.

Dionis igitur fr. 106—109 ad Posidonium redeunt.

7. De Plutarchi vita Sertorii et Exuperantio.

Sertorii vitam Plutarchus totam fere ex Sallustii historiis excerpsit[1], quod etiam iis locis, qui de rebus Sullanis sunt, dilucide comprobatur. Nam verba Plut. Sert. 6 'τέλος δὲ Σύλλας Σκηπίωνι παραστρατοπεδεύσας καὶ φιλοφρονούμενος, ὡς εἰρήνης ἐσομένης, διέφθειρε τὸ στράτευμα, καὶ ταῦτα προλέγων Σκηπίωνι καὶ διδάσκων Σερτώριος οὐκ ἔπειθε' ad Sallustium redire nemo negabit, qui ea contulerit cum Exup. p. 4, 5 'parato validissimo exercitu processere et vetante Sertorio colloquia consules permiserunt inter suum et Sullae exercitum et facta proditio est omnisque exercitus Sullae traditur' et Sall. fr. 1, 91 'Cuius adversa voluntate colloquio militibus permisso corruptio facta paucorum et exercitus Sullae traditus est'[2].

Ad haec, quae de Sallustio Plutarchi auctore exposui, liceat pauca addere de Exuperantio. Qui non modo res, quas in bellorum civilium libro enarrat, omnes e Sallustii bello Jugurthino et historiis deprompsit, sed etiam elocutione eum imitatus est[3]. Nimirum Sallustius quamquam res populi Romani a Sullae tantum morte usque ad Pompei dominationem (i. e. ab a. 78—67) tractavit, tamen ineunte historiarum opere 'breviter de rei publicae Romanae statu eo egit consilio, ut et originem dissensionis civilis exponeret et doceret, qua ratione discordiae paulatim auctae essent'. Deinde ubi de Sertorio narrare coepit, ab a. 83 copiosius vitam eius descripsit[4]. Atque profecto Exuperantii memoria et Sallustii historiarum fragmentis egregie fulcitur et enarrandi illius ratio cum Sallustii optime conspirat, quippe qui semper popularium factione omni purgata crimine insolentiam optimatium ac corruptionem quam maxime praedicaverit. Quae res apud Exuperantium ex eo apparet, quod Sullam

[1] B. Maurenbrecher l. l. f. 1, p. 27 sqq.

[2] Maurenbrecher l. l. f. 1, p. 29, 30.

[3] C. Bursian in editione (progr. Turic. 1868) p. VII, Maurenbrecher l. l. f. 1, p. 13.

[4] Maurenbrecher l. l. f. 2, p. 2 sqq., 37 sqq.

'infestum' atque 'omnibus minitantem exitium' ex Asia venisse dicit et paulo infra transfugarum permultos 'frustratos omnibus' ab illo ad priorum ducum castra revertisse affert.

Disputatione de fontibus ad finem perducta nihil impedit, quominus in res ipsas earumque temporum rationem inquiramus. Atque in eis quidem rebus, quae in popularium castris gerebantur, constituendis Appianum, Diodorum, Plutarchum (Sull. c. 28 in., Crass.), Exuperantium duces potissimum habebimus, in eis, quae apud Sullam eiusque legatos factae sunt, Livius, Velleius, Plutarchus (Sull., Pomp.) adeundi erunt. In rerum discrepantiis eas, quae maiores in se habent verisimilitudinis numeros, recipiemus.

Pars altera.

a) Res gestae.

Notae: App. = Appiani bell. civ. l. 1; de vir. ill. = Anonymus de vir. illustr.; Diod. = Diodori biblioth. hist. fragm. ll. 38 et 39; Dio = Dionis Cassii hist. Rom. (ed. Boissevain); Eutrop. = Eutropii breviarium ab urbe condita l. 5; Exup. = Julii Exuperantii opusculum (rec. Bursian); Flor. = P. Annii Flori epitome de Tito Livio l. 2, 9; Liv. = Titi Livii periochae; Obseq. = Julii Obsequentis prodigiorum l.; Or. = Pauli Orosii hist. adv. pag. l. 5; Plut. P. = Plutarchi vita Pompei, Se. = vita Sertorii, Su. = vita Sullae; Sall. = C. Sallustii Crispi hist. fragm. l. 1 (ed. Maurenbrecher); Strab. = Strabonis Geographica; Val. = Valerii Maximi fact. et dict. memorab. ll.; Vell. = Vellei Paterculi hist. Rom. l. 2.

Res gestae, loca, nomina propria [ ] uncis inclusa ratione effecta sunt.

a. 85 a. Chr. n. sext. — Sulla cum Mithridate Dardani pacem facit[1]).

a. 23. sept. — Aera Sullana in Asia initium ducit[2]).

autumno — Fimbria militibus ad Sullam transgressis se ipse interimit[3]).

Cn. Papirius Carbo, L. Cornelius Cinna coss. per totam Italiam dimittunt, qui pecunias, milites, frumentum in usum imminentis belli Sullani comparent et naves ex Sicilia conquirant (App. 76, Liv. 83)[4]).

Sulla legiones in Graecis Asiae urbibus in hibernis collocat; ipse Ephesi moratur[5]).

inc. temp. — P. [Popilius] Laenas Sex. Lucilium, qui priore anno tribunus plebis fuit, saxo Tarpeio deicit et collegis eius, quibus diem dixit, postquam metu perterriti ad Sullam profugerunt, aqua ignique interdicit (Vell. 24).

a. 85 sept. — Sulla ad senatum scribit (App. 77)[6]):

commemorat labores omniaque sua de populo Romano merita;

exponit res nuperrime contra Mithridatem gestas, enumerat gentes, quas a rege occupatas sub imperium populi Romani reduxerit;

neque quicquam imputat magis quam quod civium Romanorum Cinnae violentia urbe pulsorum ipse refugium fuerit;

queritur iniuriam ab adversariis ipsi illatam (quod hostem se iudicaverint, domum subverterint, amicos ceciderint, uxori et liberis tanta pericula comparaverint, vix ut eis ad ipsum fugere contigerit);

indicat se illorum ultorem venturum esse, neque vero ceterorum civium nec veterum nec novorum se incusaturum esse quemquam.

ante ex. oct. — Romae de Sullae litteris senatus habetur (App. 77)[7]).

Litteris recitatis pavor omnes invadit. L. Valerius Flaccus, princeps senatus, oratione habita sententiam dicit, ut legati ad Sullam de pace mittantur. In eandem sententiam eunt, qui concordiae student (Liv. 83)[8]).

Senatus decernit:

1. ut legati ad Sullam mittantur, quem cum adversariis concilient praemoneantque, si quid caveri sibi velit fide publica, id curae fore senatui, modo quam primum voluntatem suam significet.
2. ut consules a delectibus cessent, dum responsum a Sulla reddatur.

Consules se ita facturos esse pollicentur.

in. nov. — Senatus legati ex Italia ad Sullam proficiscuntur (App. 77).

a. 85 Protinus post legatorum discessum Carbo et Cinna in proximum annum consules se ipsi renuntiant [9]) peragrantesque Italiam dilectum instituunt (Appl. l. l.; de vir. ill. 69, 3) cfr. [31]).

a. 84 a. Chr. n. Coss. Cn. Papirius Carbo II., L. Cornelius Cinna IV. (Fasti cos. Cap.).

in. apr. Carbo cum C. Verre quaestore in Galliam Cisalpinam ad exercitum proficiscitur (cfr. Cic. Verr. 2, 1, 34).

Consules Sullam in Graecia e Liburnia aggressuri milites alios post alios navibus mare eo traiciunt [10]). Cum primi portus optatos iam teneant, proxime secutos tempestas opprimit. Quorum quicumque in terram evadunt, protinus in suam quisque domum diffugiunt utpote nunquam sua voluntate contra cives militaturi (App. 77, 78).

in. maio Cinnae exitus

(App. 78; Liv. 83; Or. 19, 24; Vell. 24; Plut. Se. 6, P. 5).

Militum discessu cognito reliqui quoque se posthac in Liburniam traiecturos esse negant. Quos ut minis perterreat, Cinna Anconae (de vir. ill. 68) ad contionem convocat. Ubi lictorem, qui Cinnae eunti iratos de via submovens obvium quendam pulsaverit, alius militum percutit. Quem dum Cinna corripi iubet, sublato omnium clamore lapides in consulem coniciuntur et, qui propiores stant, strictis gladiis eum confodiunt [11]).

Carbo copias in Liburniam traductas reverti iubet. De praesenti rerum statu sollicitus ad subrogandum in occisi locum alterum consulem in urbem non redit quantumvis revocantibus tribunis plebis. Tandem cum se imperium ei abrogaturos esse minati sint, Carbo reversus comitia consularia habet, sed avibus adversis aliam diem indicit. Qua quod fana Lunae et Cereris de caelo tanguntur, augures comitia ultra solstitium differunt. Ac ne postero quidem tempore collega suffecto [12]) Cn. Papirius Carbo solus consulatum gerit (App. 78; Liv. 83; Vell. 24; Plut. P. 5; Fasti cos. Cap.) [13]).

a. 84 ex. iun.

Verres HS sescentis milibus pecuniae publicae aversis Arimino ad Sullam [in Graeciam] perfugit (Cic. l. l. 34, 36).

Legati senatus a Sulla revertuntur (App. 79).

Legati Sullae, qui ad senatum de rebus eius verba faciant, cum Cinna mortuo rem publicam altero capite carere cognoverint, infecta re Brundisio ad Sullam redeunt (App. 79).

in. quint. Legati senatus Sullae responsa ad senatum referunt (App. 79; Liv. 84):

cum adversariis, talium ac tantorum scelerum patratoribus sibi nunquam fore amicitiam neque tamen invisurum se populo Romano, si illis incolumitatem donare voluerit;

de securitate nihil opus esse, se potius senatum populumque et eos, qui ad sese confugerint, posse tutos praestare, cum habeat faventem sibi exercitum;

postulare se, ut et dignitas pristina et bona et sacerdotium et si quos alios habuerit honores, omnia haec integra sibi reddantur atque ut cives a Cinna pulsi restituantur.

Sullae condiciones cum iustae [14]) senatui videantur, per Carbonem factionemque eius, ne conveniant, efficitur (Liv.).

Senatus habetur de exigendis ab Italiae oppidis coloniisque obsidibus; quae res a Carbone ad patres relata, ut Italicorum fidem contra Sullam obligaret, reicitur (Liv. 84).

a. 84 Fit senatus consultum de suffragio novis civibus dando (Liv. l. l.)[15].

aestate Sulla Epheso omnibus navibus Piraeum transvectus diutius in Attica moratur (Plut. Su. 26)[16].

Q. Caecilius Metellus Pius, optimatium partium vir, in Africa bellum molitus a C. Fabio Hadriano praetore e provincia[17]) pellitur (Liv. 84).

Senatus consultum per factionem Carbonis et Marianarum partium fit, ut omnes ubique exercitus dimittantur (Liv. l. l.)[18].

Fit senatus consultum de libertinis in quinque et triginta tribus distribuendis (Liv. l. l.) cfr.[15].

Sulla Aedepsum, in urbem Euboeae, se confert, ubi thermis utatur (Plut. Su. 27).

autumno In Peloponneso et Macedonia Sullae militum delectus habentur (App. 79)[19].

In Italia bellum contra Sullam comparatur (Liv. 84).

In agro Piceno Pompeius popularium delectus ne eveniant incolarum animos sibi conciliando efficit; Vedius quidam ei obsistens a Picentibus necatur (Plut. P. 6).

nov. [Consules designantur in a. 83, cfr.[9]; Carboni imperium prorogatur; M. Junius Brutus tribunus plebis, M. Pupius Piso quaestor creatur (cfr. Cic. pro Quinct. 65; in Verr. 2, 1, 37).]

post 10. dec. M. Junius Brutus, tribunus plebis, legem de colonia Capuam deducenda fert. Lege accepta L. Considius et S. Saltius duoviri creantur (Cic. de leg. agr. 2, 89, 92).

---

a. 83 a. Chr. n. Coss. L. Cornelius Scipio Asiaticus, C. No[rbanus] (Fasti cos. Cap.)[20].

in. mart. Sulla per Thessaliam et Macedoniam profectus delectibus adiunctis

a. 83 med. apr. Dyrrhachium pervenit, dum classis Piraeo per Patras, ubi novae copiae e Peloponneso excipiuntur,

med. maio eodem navigat (Plut. Su. 27; App. 79; Sall. 33)[21].

M. Licinius Crassus ad Sullam [Dyrrhachium] venit (Plut. C. 6)[22].

Sulla milites iterum sacramento adigit (Plut. Su. 27)[23].

Sulla omni modo pecunias expedire studet (Plut. Su. 27)[23].

inc. temp. Capuae colonia a L. Considio et S. Saltio duoviris summa ostentatione pompaque inani conditur (praetores se appellari volunt, lictores cum fascibus bini anteeunt, in foro maiores hostiae de tribunali ad praeconem et tibicinem immolantur, Campani patres conscripti vocantur etc.; Cicero, qui eis rebus interfuit, de leg. agr. 2, 92 sqq.).

Sulla quadraginta[24]) circiter virorum milia (sc. quinque legiones, sex milia equitum, assumpta ex Macedonia et Peloponneso auxilia) navibus mille ducentis vel mille sescentis

ex. maio Brundisium traicit (App. 79; Plut. Su. 27; Vell. 24; Liv. 85; Entrop. 7)[25].

Sulla a Brundisinis sine pugna recipitur, quapropter immunitate eos postea donat (App. 79).

Senatus consultum ultimum: videant consules, ne quid res publica detrimenti capiat (Exup. 7).

Qui in urbe sunt, trepidi cum consulibus conspirant. In urbe et in Italia a consulibus et Carbone proconsule delectus habentur, commeatus et pecuniae contrahuntur (App. 81). Viri idonei, in quibus Q. Sertorius est, eliguntur, ad quorum industriam cura belli pertineat; centum milia militum conficiuntur (Exup. 7; App. 82).

a. 83 Ex tota Italia atrocissima prodigia nuntiantur (App. 83; Plut. Su. 27; Obseq. 57).

iun. Cn. Pompeius iratus eis, qui in urbe sunt, in agrum Picenum se confert paternis clientelis refertum. Privatus Auximi tribunal in foro constituit duosque fratres Ventidios, qui primas in ea civitate tenentes factionem Carbonianam tueantur, edicto oppido expellit. Milites conscribit centurionesque iis et primipilos legit; idem ceteras urbes adiens facit. Legionem perbrevi tempore cogit armisque instruit. Romae omnes adulescentem contemnunt (Plut. P. 6; Diod. 9; Dio fr. 107; App. 80; Liv. 85; Vell. 29).

Permulti optimates ad Sullae exercitum confluunt (Liv. 85; Vell. 25); in his sunt
M. Licinius Lucullus (Plut. Su. 27; Vell. 28),
[Cn. Cornelius] Dolabella (Plut. Su. 29),
[Manlius] Torquatus (Plut. l. l.),
[P.] Servilius [Vatia?] et [Q.] Servilius [Caepio?] (Plut. Su. 28; Vell. 28; App. 103),
L. [Marcius] Philippus (Liv. 86),
L. Sergius Catilina (Sall. 46)[26]).

Pompeius cum una legione [per Vestinos et Frentanos] in Apuliam ad Sullam proficiscitur haud ita festinans, cum in itinere hostibus infestandis moram faciat et omnem, qua it, Italiam ad desciscendum a Carbone pertrahat (Plut. P. 6; Dio fr. 107, 1).

ex. iun. Sulla a Brundisio via Appia per Tarentum tarde[27]) progreditur (Plut. Su. 27; App. 79)[28]).

In itinere Q. Caecilius Metellus Pius proconsul ex Libya transgressus cum armatorum manu ad Sullam venit[29]), id quod maximum Sullae rei adiumentum affert. Nam permulti adversariorum ipsorum quoque ut P. [Cornelius] Cethegus (App. 80) et Q. Lucretius Ofella (Vell. 27) Metelli auctoritate permoti, quem haud temere fecisse persuasum habeant, ad Sullae societatem se applicant (App. 80; Dio fr. 106).

a. 83

Carbo maturato itinere [ad consulatum petendum ex Italia] Romam venit (cfr. App. 86).

in. quint. Carbo Romae efficit, ut Metellus et quotquot alii senatores Sullae se adiunxerint, hostes a S. P. Q. R. iudicentur (App. 86)[30]).

6. quint. (Plut. Su. 27). Capitolium casu custodumque neglegentia (Obseq. 57; Dionys. arch. 4, 62; Cassiod. chron. a. 670) deflagrat; oraculorum Sibyllinorum libri in templo sub terra conditi eodem igni absumuntur (Dionys l. l.; Plut. Su. 27; App. 83, 86; Cic. in Verr. 4, 69; in Cat. 3, 9; Tacit. hist. 3, 72; Plin. n. h. 33, 16; Euseb. chron. 1934).

Consules creantur C. Marius, Mari filius (adoptatus), per vim ante triginta annos invito Sertorio (Plut. Se. 6) ac matre Iulia (Sall. 35) et Cn. Papirius Carbo (Plut. Se. 6; Liv. 86; Eutrop. 8; Vell. 26; App. 87; de vir. ill. 68)[31]).

[Norbano imperium prorogatur; L. Iunius Brutus Damasippus (cfr. [63]), M. Perperna praetores creantur (App. 88; Liv. l. l.; Flor.; Or. 20, 4; Vell. l. l.; Diod. 14).]

eodem die Sulla Silvii moratur[32]), ubi servum quendam victoriam et Capitolii incendium sibi vaticinatum esse in commentariis fabulose narrat (Plut. Su. 27).

„ Pompeius Sullae, priusquam hic Samnitium fines ingreditur, legionem adducit (App. 80).

Sulla cum Metello magno militum et illustrium amicorum numero auctus [via Appia per Samnites] porro iter facit (App. 81).

Norbanus et Marius (Plut.) magno cum exercitu profecti [per Campaniam ad Caudium Sullam

a. 83 eius agri aditu intercludere conantur (cfr. Plut. Su. 27)].

med. quint. Sulla Beneventi subsistit, ubi C. Verrem esse iubet (Cic. Verr. 2, 1, 38).

Pompeius [in agrum Picenum reversus] duas novas legiones conscribit (App. 80; cfr. Liv. 85).

Roma nuntio de Pompei secundarum rerum proventu allato copiae in agrum Picenum emittuntur (Diod. 9).

Sulla ad Norbanum legatos de pace mittit (Liv. 85; cfr. Vell. 25).

[Sulla Benevento Calorem et Volturnum secutus in Campaniam descendit. Norbanus via Appia ad montem Tifata regreditur Sullam in Campaniam intrare prohibiturus[33].]

Pugna ad montem Tifata commissa (Plut. Su. 27; Liv. 85; Flor.; Eutrop. 7; Or. 20, 2; Vell. 25; App. 84)[34].

ante ex. quint. Sulla et Metellus [cum Norbano simul ad montem Tifata perveniunt][35] atque prae angustiis, quae inter eum et Volturnum amnem interpositae sunt, acie non instructa[36] communi omnium militum alacritate et audacia consulem statim fundunt. Caeduntur de Norbani exercitu secundum Plut. et Or. septem milia, App. et Eutrop. sex milia militum; secundum Eutrop. et Or. sex milia capiuntur. Sulla secundum App. septuaginta, Or. et Eutrop. centum viginti quattuor milites amittit. Multi sauciantur (App.)[37].

Norbanus Capuae includitur (Plut. Su. 27; App. 84).

Sulla aquas illius regionis salubritate medendisque corporibus nobiles agrosque omnes Dianae [Tifatinae] addicit (Vell. 25).

quint. Quae dum a Sulla geruntur, C. Caelius Caldus, C. Albius Carrinas, L. Iunius Brutus Da-

a. 83 quint. masippus[38] a senatu emissi tribus diversis exercitibus Pompeium intercludere conantur (Plut. P. 7).

Pompei victoria in agro Piceno a popularibus ducibus reportata (Plut. P. 7).

Pompeius haud perterritus cum equites, inter quos ipse est, in fronte constituerit, totum exercitum contractum solum in Brutum ducit, qui ei Gallicos equites obviam mittit. Quorum primum et robustissimum Pompeius ipse hasta comminus deicit reliquosque in fugam convertit. Quo facto peditum quoque acie conturbata totus hostium exercitus in fuga ab eo devincitur (Diod. 9).

Pompeius Sullam per litteras de victoria certiorem facit (Diod. 10).

Caldus, Carrinas, Brutus [post cladem Norbani nuntiatam][39] discordia exorta alius alio inter se discedunt. Civitates Picenae omnes ob metum Carbonianos dissipatos esse ratae cum Pompeio se coniungunt (Plut. P. 7).

L. Cornelius Scipio, alter consul, et Lucius filius et Q. Sertorius praetor (Exup. 7) [via Latina] cum quadraginta cohortibus (= viginti fere milibus militum) [ad Norbanum Capuana obsidione liberandum] appropinquant (App. 85; Plut. Su. 28).

Piso, Scipionis quaestor eiusque adversarius, ad exercitum non proficiscitur (Cic. Verr. 2, 1, 37).

Sulla et Metellus Scipioni obviam eunt (App. l. l.; Plut. l. l.).

in. sext. Scipio ad Teanum Sidicinum, Sulla ad Cales castra ponit (Cic. Phil. 12, 27).

Scipionis militum ad Sullam transitus (App. 85, 86; Plut. Su. 28, Se. 6; Diod. 16; Liv. 85; Flor.; Eutrop. 8; Vell. 25)[40].

post. med. sext. Sulla cum Scipione, cuius milites trepidos et pacis magis quam pugnae cupidos viderit, per le-

a. 83 post. med. sext. gatos de pace agit. Postquam Scipio obsides accepit, vetante Sertorio (Plut. Se.; Dio fr. 107, 3 [41]); Sall. 91; Exup. 7) in campo inter castra sito convenientibus utrimque ternis testibus aliquot colloquia habentur. Leges inter se et condiciones de auctoritate senatus, de suffragiis populi, de iure civitatis conferunt (Cic. Phil. 12, 27, pro Fonteio 6). Interim Sulla semper aliquas procrastinandi occasiones inveniens et praetextum consulis exercitum suorum militum opera corrumpit. Qui ingressi in hostium castra ibique versati aliis eorum statim argento, aliis promissionibus, ut ad Sullam deficiant, persuadent (cfr. Sall. 34). Tum Sertorius a Scipione ad Norbanum collegam Capuam missus, ut, quae convenissent, cum eo communicaret, ex itinere Suessa, Sullanarum partium urbe [42]), occupata indutias tollit reditque ad Scipionem [43]). Qui Sullae expostulanti incertus, quid respondeat, obsides reddit. Milites offensi Suessa intempestive capta et obsidibus redditis, cum non essent repetiti, clam cum Sulla de transitione agunt et, postquam cum viginti cohortibus propius ad castra accessit, contemptis Sertorii verbis (Dio fr. 107, 2) signa ad eum transferunt.

Scipio cum Lucio filio proditionis inscius in tentorio solus deprehensus insignia magistratus deponere cogitur. Sulla cum in partes suas verbis traducere conatus, cum frustra sit, ambos cum equitum praesidio incolumes dimittit (App. 85, 86; Plut. Su. 28; Diod. 16).

Sulla ad Norbanum Capuam de pace legatos mittit, qui ab eo non accipiuntur (App. 86).

Sertorius destitutus atque omni copiarum nudatus auxilio iram metuens Sullae in Etruriam confugit (Exup. 7) [44]).

a. 83

Scipio consul magistratus insignibus rursus indutis copias cogit (Diod. 16; cfr. App. 95) [45]) et in agrum Picenum contra Pompeium castra

in. sept. movet (Plut. P. 7).

Sulla Pompeio auxilii ferendi causa eodem tendit omniaque hostilia devastat (Plut. P. 8; cfr. App. 86). Hoc idem Norbanus [obsidione liberatus] facit diverso itinere (App. 86).

med. sept. Scipio Pompeium aggreditur; priusquam acies intra teli iactum veniunt, milites eius ad Pompeium transeunt. Scipio effugit (Plut. P. 7) [46]).

Sulla cum Pompeio se coniungit (Plut. P. 8) [47]).

Sulla et rebus a Pompeio gestis et splendidissimo eius exercitus aspectu captus summos in eum effundit honores (ut imperator a Pompeio salutatus imperatoris nomine eum resalutat etc.).

autumno Sullae et Norbani exercitus hoc anno infestis signis non iam concurrunt (App. 86) [48]).

In Etruria fidissima Marianis partibus terra a Sertorio et aliis eiusdem factionis ducibus firmissimus quadraginta cohortium exercitus comparatur (Exup. 7) [49]).

Multi milites, qui Sullae in Italiam advenienti se tradiderunt, ad priorum ducum castra revertuntur (Exup. 7).

Damasippus praetor urbanam, Perperna praetor Siciliam provinciam sortitur (cfr. p. 35).

Sulla Apuliam, Campaniam, agrum Picenum in dicione tenet; pro adversariorum partibus Samnites, Lucani, Latini, Etrusci, Galli stant.

hieme Sulla in Campania, Pompeius et Metellus in agro Piceno hiberna agunt [50]).

a. 83 hiemo

Sulla, cum maior iam Italiae pars cum consulibus faciat eorumque copiae et ex Italia ipsa et ex Gallia Circumpadana in dies magis augeantur (cfr. Sullam ap. Plut. Su. 27: 'quadringentae quinquaginta cohortes'; Flor.: 'octo legiones, quingentae cohortes'; Vell. 24: 'ducenta milia amplius hostium'), se confirmare studet (App. 86; Plut. Su. 28):

cum Italicis populis, ne timeatur ab eis velut erepturus civitatem (ut ab Etruscis, Exup. 7) et suffragii ius nuper datum missis circum quos potest nuntiis foedera percutit aut eos terrore iniecto vel pecunia promissa vel spe ostentata sibi conciliat (Liv. 86; App. l. l.; Diod. 13);

idem ex fiducia iam certae victoriae litigatores, a quibus aditur, [per edicta] vadimonia Romam deferre iubet, cum a parte diversa urbs adhuc teneatur (Liv. l. l.).

---

a. 82 a. Chr. n.

Coss. C. Marius C. f.[51]), Cn. Papirius Carbo III. (Fasti cos. Cap.).

Frigoris asperitate in hibernis utrimque exercitus continentur (App. 87).

febr. Sertorius ex Etruria Romam venit consulesque adhortatur, ut Sullae obviam eant. Consules aliique eorum factionis principes, ut aemulum ac vehementem neglegentiae correctorem ab oculis removeant, eum in Hispaniam citeriorem mittunt (Sall. 92; Exup. 8; App. 86; Plut. Se. 6).

Consules ex urbe discedunt.

Senatus decernit, ut aurea atque argentea templorum ornamenta, ne militibus stipendia desint, conflentur (Val. 7, 6).

Marius Praeneste, oppidum arte et natura munitum, auri pondo XIIII et argenti VI ex Capitolinae aedis incendio ceterisque omnibus delu-

a. 82

bris eo delatis praesidio firmat (Vell. 26; Plin. n. h. 33, 1, 5, 16; Strab. 5, 3, 10, 11).

Carbo in Etruria (Clusii)[52]); Marius in Latio (Praenesti); Carrinas in agro Gallico (circa Aesim fluvium).

Sulla, Dolabella, Crassus, Ofella in Campania; Pompeius et Metellus in agro Piceno.

Apud Marium magna veteranorum militum multitudo convenit (Diod. 12).

ἀρχομένου δὲ ἦρος (App. 87).

Res in agro Gallico gestae[53]).

in. mart. Metellus ex Piceno in agrum Gallicum[54]) profectus cum Carrinate, Carbonis praetore, ad Aesim flumen a mane usque ad meridiem proelium acerrimum committit. Carrinate magna suorum clade profligato Metellus castra eius pervadit. Finitima municipia a consulibus ad Metellum deficiunt (App. 87; Or. 20, 5).

Pompeius a Sulla bello in agro Gallico gerendo praefectus magna reverentia Metello, viro aetate et gloria multo maiori, socium adiutoremque se offert (Plut. P. 8).

med. mart. Carbo [ex Etruria via Flaminia in agrum Gallicum contendit[55]), cum Carrinate se coniungit[56])], Metellum insecutus obsidet (App. 87).

ex. mart. Pompeius a Metello per litteras vocatus e Piceno in agrum Gallicum castra movet. Carbo permultas equitum turmas adversus eum mittit. Quibus Pompeius ad Aesim[57]) fortiter subsistit, fusosque in loca equitatui iniqua urget atque ita compellit, ut nulla spe salutis oblata se cum armis et equis ei tradant (Plut. P. 8, 7; Or. 20, 5).

Res in Latio gestae.

in. mart. Sulla [Appia via], Dolabella [Latina] cum copiis Latium ingrediuntur (cfr. App. 87; Plut. Su. 28)[58]).

a. 82 post med. mart. Sulla Setiam oppidum capit. Marius, qui haud procul inde castra habet, [Dolabella appropinquante] usque Sacriportum, inter Praeneste et Signiam situm [59]), regressus castra operibus praemunit (App. 87; Plut. Su. 28).

Marius L. Iunio Bruto Damasippo, praetori urbano, Romam scribit, ut nobilitatis principes interficiat (Liv. 86; Flor.; Or. 20, 4; Vell. 26; cfr. App. 88) [60]).

Pugna ad Sacriportum commissa (Diod. 15; App. 87; Plut. Su. 28; Vell. 26; Liv. 87; Flor.; Eutrop. 8; Or. 20, 6; Sall. 35, 36; Lucan. 2, 134), cfr. [65]).

ex. mart. Sulla ad Signiam cum Dolabella se coniungit (Plut.). Marius cum octoginta quinque cohortibus signis extra vallum prolatis Sullam ad pugnam provocat. Proelio commisso Mariani Sacriportum se recipiunt, Sullani subsecuti viam obstructam patefaciunt. Maximo imbre coorto suisque fatigatis Sulla centurionum, ut pugnam differret, precibus commotus invitus milites castra munire iubet. Iam vallum et fossam ducebant, cum subito Marius cum equitatu turbatos incompositosque equo citato primus omnium advectus fortissime aggreditur. Sullani milites ira correpti statim cum hostibus manus conserunt. Quorum postquam sinistrum cornu ex loco cedere coepit, quinque cohortes et duae equitum turmae abiectis signis ad Sullam simul transeunt (App.). Marianorum quindecim milia (Diod.) pulsi effusa fuga Praeneste petunt, sed fugientes a Sullanis, qui cursu incitati eos persequuntur, magna clade afficiuntur. Praenestini primos ex fuga recipiunt; cum Sullani ipsi quoque in oppidum irrumpere conentur, portis clausis Marium

a. 82 fune per murum demisso in urbem assumunt. Magna caedes circum muros oppidi fit.

Sulla ipsius testimonio (Plut.) suorum viginti tres amittit, Marianorum viginti milia occidit, octo milia capit. Secundum Eutrop. Sullanorum quadringenti, Marianorum quindecim milia, secundum Claudium (Or.) horum milia viginti quinque interficiuntur. Ex captivis Samnites Sullae iussu caeduntur (App.) [61]).

Crassus a Sulla ad milites conscribendos in Marsos mittitur (Plut. C. 6) [62]).

Romae

ex. mart. Damasippus [63]) cum senatum quasi ad consultandum in curiam Hostiliam contraxerit, C. Papirium Carbonem Arvinam (Val.), virum praetorium, consulis patruelem, et P. Antistium aedilicium, Pompei socerum, in curia trucidat; L. Domitius Ahenobarbus consularis iuxta exitum eius aedificii, Q. Mucius Scaevola, pontifex maximus, fugiens non longe a vestibulo aedis Vestae [64]) occiduntur (Liv. 86; Flor.; Or. 20, 4; Vell. 26; App. 88; Diod. 17; Val. 9, 2, 3; Cic. ad Att. 9, 21, 3; de or. 3, 10; Brut. 90; de nat. deor. 3, 87).

Calpurnia, Bestiae filia, uxor Antistii, iugulato viro se ipsa gladio transfigit (Vell. 26).

Corpora interfectorum per carnifices unco tracta atque in Tiberim missa sunt (Or. 20, 4; App. 88; de vir. ill. 68).

Res in Latio gestae.

in. apr. Sulla Praeneste oppidum e longinquo vallo ac fossa circumdat. Ofellam operi praeficit, ut sine pugna et acie Marium fame opprimat (App. 88; Liv. 87; Eutrop. 8; Or. 21, 8; Sall. 37; Anonym. de vir. ill. 68; Dio fr. 108).

a. 82

Sulla exercitum per partes neque uno itinere
ad urbem mittit, ut portas occupent, repulsi ut
med. apr. Ostiam aggrediantur. Milites, quacumque est iter,
cum metu intra oppida recipiuntur; omnes Sullae
adversarii ex urbe fuga dilabuntur, ubi fame
exorta Sullanis portae aperiuntur (App. 88, 89).

Re cognita Sulla confestim supervenit et exer-
citu ante portas in campo Martio collocato ur-
eod. temp. bem ipsam ingreditur. Adversariorum bona pu-
blicata sub hasta veneunt. Convocata contione
Sulla, conquestus se coactum inimicorum iniuriis
haec facere, cives bono animo esse iubet, vi-
suros se propediem finem malorum et restitutam
rem publicam. Ordinat, quae maxime sunt ne-
cessaria; praesidium relinquit (App. 89; Eutrop.
8; Liv. 87)[66]).

Res in agro Gallico gestae.

Carbo, cum nuntius de Marii clade allatus
eod. temp. sit, Metelli obsidione soluta copias Ariminum
reducit a Pompeio castris exutus. Qui Carbo-
nem discedentis tergo inhaerens nunc caedendo
nunc ad deditionem cogendo magna exercitus
parte privat (App. 87; Or. 20, 7).

ex. apr. Metellus alium Carbonis exercitum vincit,
quam inter pugnam quinque cohortes ad eum
transeunt (App. 88).

Pompeius Marcium devincit circum Senam,
urbem ipsam diripit (App. 88)[66]).

Sulla Romae; Ofella ante Praenestis muros; Metelius, [Lucullus,]
Pompeius in agro Gallico [illi Carbonem coercent, hic viam Flami-
niam custodit]; Crassus in Marsis milites conscribit.

Marius Praenesti obsidetur; Carbo, Carrinas, Marcius, Norbanus
Arimini, Damasippus Clusii.

Res in Italia septentrionali gestae.

med. maio Sulla via Cassia Clusium versus in Etruriam

a. 82

exercitum ducit (cfr. [66]); altera Sullanorum pars
via Clodia in eandem Etruriam castra movet
ex. maio (App. 89)[67]).

Carbo, Carrinas, Marcius[68]) Arimino [per
forum Livii Arretium versus] in Etruriam con-
tendunt[69]); Norbanus Arimino praeest (cfr. App.
89, 90, 91; Or. 20, 7).

in. iun. Equites Celtiberi a praetoribus Hispaniae con-
sulibus auxilio missi Etruriam ingrediuntur. Quo-
rum Sulla proelio ad Clanim fluvium commisso
circiter quinquaginta occidit; ducenti septuaginta
ad eum transfugiunt, reliqui terga vertunt[70]).
Qui [cum Carbone appropinquante coniuncti]
ad internecionem ab eo delentur (App. 89).

eod. temp. Sullani circum Saturniam hostes vincunt
(App. 89).

Metellus [et Lucullus] classe Ariminum cir-
cumvecti ad Ravennam navibus appulsis Urita-
num agrum campestrem et fructuosum [i. e. re-
gionem inter Faventiam Fidentiamque sitam][71])
in potestatem Sullae redigunt. Lucullus Fiden-
tiam occupat (App. 89; cfr. Liv. 88; Vell. 28).

Crassus e Marsis magno cum exercitu in
Umbriam ad Pompeium venit; [coniuncti in Etru-
riam via Flaminia ad Sullam proficiscuntur][72])
(Plut. C. 6; cfr. App. 90).

[Carbo circum Arretium copias dividit; ipse
adversus Sullam Clusium tendit; Carrinatem per
Cortonam et Perusiam contra Pompeium et Cras-
sum mittit.]

Alii Sullani per nocturnam proditionem intra
Neapolim recepti omnes contrucidant praeter
paucos fuga elapsos; publicas eius civitatis tri-
remes occupant (App. 89).

a. 82 Praenesti

Ofella magnis operibus perfectis subsidium capit per L. Catilinam legatum (Sall. 46)[73].

Marius erumpere conatus repellitur; loco spatioso inter oppidum et hostium munitiones interiecto castellum exstruit, ubi machinas collocat (Liv. 87; App. 90).

Pugnae ad Clusium et Spoletium commissae.

med. iun. Sulla cum Carbone per integrum diem acerrimo proelio ad Clusium conflictatur, quod nocte neutri inclinante victoria dirimitur (App. 89; Liv. 88; Vell. 28).

Pompeius et Crassus in campo Spoletino Carbonianorum tribus fere milibus caesis Carrinatem, hostium ducem, obsessum tenent (App. 90)[74].

ex. iun. Sulla exercitum a Carbone Carrinati subsidio missum eius rei haud ignarus in itinere ex insidiis aggreditur, duo fere milia interficit (App. 90).

in. quint. Carrinas per occasionem noctis valde pluviae et obscurae sentientibus aliquid obsessoribus, qui propter foedam tempestatem neglegenter id ferant, evadit (App. 90).

Crassus Tuder, oppidum Umbriae, occupat; magnam pecuniae partem avertit (Plut. C. 6).

[Pompeius cum Sulla tertium se coniungit.]

post. med. quint. M. Lamponius Lucanus et Pontius Telesinus, duces Samnitium, qui [a bello sociali] arma nondum posuerunt (Liv. 88), sub partium specie se vindicantes Campaniam populantur (Flor.)[75].

[Sulla a Clusio in meridionalem Italiam discedit; Pompeium relinquit, qui Carbonianos in Etruria et Umbria coerceat.]

Marcii expeditio (App. 90)[76].

med. quint. Carbo Marium Praenesti fame laborare nuntiato Marcium ad collegam obsidione eximendum cum octo legionibus mittit. Quas Pompeius [in

a. 82 ex. quint. Etruria meridionali] loco angusto ex insidiis adortus in fugam conicit multisque caesis reliquos in tumulum quendam coactos cingit. Unde cum Marcius relictis ad fallendos hostes ignibus effugerit, exercitus eius, qui culpam acceptae per insidias cladis duci attribuit, gravem seditionem facit. Una legio integra iniussu ducis signa Ariminum refert, reliqui per catervas ad proprios lares dilabuntur ita, ut septem tantum cohortes apud Marcium permaneant, cum quibus post rem tam infeliciter gestam ad Carbonem revertitur.

eod. temp. [Carbo per Arretium et Forum Livii in Galliam Cisalpinam abit.]

in. sext. M. Lamponius Lucanus, Pontius Telesinus Samnis, Albinus Gutta[77]) Capuanus cum septuaginta virorum milibus ad Marium obsidione liberandum [e Campania via Latina] appropinquant. Quos Sulla faucibus [circum Anagniam] occupatis, per quas solas transitus est, Praenestis aditu excludit (App. 90; Plut. Su. 29; Vell. 27).

Sulla in via Latina haud procul a Praenesti; Pompeius in Etruria meridionali; Metellus in Gallia Cispadana Faventiae, Lucullus Fidentiae. Carbo et Norbanus circa Forum Livii; Marcius, Damasippus, Carrinas Clusii; Marius Praenesti; Quintius Placentiae; Samnites in via Latina exadversus Sullana castra.

Praenesti

med. sext. Marius externis auxiliis desperatis Ofellam obsidentem repellere conatur. Multis diebus post cum nihil profecerit, rursus intra Praenestina

ex. sext. moenia concluditur (App. 90).

Multi milites Marii signa relinquunt (Diod. 14, 15).

a. 82 Sulla M. Perpernam, Siciliae praetorem, in suas partes trahere conatur. Qui Sulla repudiato omnibus copiis in Italiam transgreditur, ut Marium obsidione eripiat (Diod. 14)[78].

Pugna ad Faventiam commissa
(App. 91; Liv. 88; Or. 20, 7; Vell. 28)[79].

med. sext. Carbo et Norbanus ad Faventiam sub vesperum ex itinere ad Metelli castra accedunt et, cum una diei hora supersit, densis circumquaque vinetis tamen irati aciem instruunt, loco autem temporeque incommodo et exercitu in arbusta compulso vincuntur. Militum circiter decem milia cadunt, sex milia ad Metellum transeunt, reliqui disiciuntur; mille tantum [Carbone duce] servatis ordinibus Arretium se recipiunt[80].

Norbani clade comperta una legio Lucana P. Albinovano duce invito ad Metellum deficit. Albinovanus cum suos retinere non possit, ad Norbanum redit. Paucis diebus post impetrata per internuntium a Sullanis venia, si quid memorabile patrasset, duces Carbonianos (inter hos C. Antipatrum, Flavium Fimbriam) ad convivium vocatos in cenaculo trucidat, ipse ad Sullanos transfugit (App. 91).

in. sext. Albinovanus Sullanis Ariminum prodit multaque alia propinqua castra ad eos desciscunt. Ariminum diripitur (Cic. in Verr. 2, 1, 36; Pseud. Ascon. in Cic. Verr. p. 168 Or.; App. l. l.).

ex. sext. Norbanus conscensa privati hominis navicula Rhodum traicit (App. 91; Liv. 89) cfr. [80].

in. sept. Carbo [Clusio] Damasippum cum duabus legionibus ad Marium obsidione liberandum mittit; sed ne eae quidem obsessas a Sullanis [sc. a

a. 82 Pompeio Etruriae] fauces perrumpere possunt (App. 91). [Damasippus ad Carbonem revertitur.]

Galli omnes ad Metellum deficiunt (App. 91).

Pugna inter Fidentiam et Placentiam commissa
(Liv. 88; Or. 20, 8; Plut. Su. 27; Vell. 28; App. 92).

eod. temp. Lucullus a Quintio [inter Fidentiam et Placentiam] obsessus erumpit (Or.) et sedecim cohortibus proelium cum Quintii cohortibus quinquaginta committit. Lucullus splendidissima victoria reportata hostium octodecim milia caedit, castra capit.

Carbonis fuga
(App. 92; Sall. 38; Exup. 8; Liv. 88; Eutrop. 8; Plut. Su. 28; de vir. ill. 75).

med. sept. Carbo quamquam armatorum triginta milia circa Clusium habet et duas Damasippi legiones et alias Carrinatis et Marcii magnaeque Samnitium copiae [circum Anagniam] graviter laborant, ut angustias contra Sullam perrumpant, omnibus tamen rebus desperatis noctu exercitum deserit cumque amicis in Africam profugit cfr. [80].

Altera pugna ad Clusium commissa
(App. 92).

ex. sept. Exercitus, quem Carbo ad Clusium reliquit, cum Pompeio congressus viginti fere milia amittit; reliqui post tantam cladem in suam quisque patriam diffugiunt.

Carrinas et Marcius et Damasippus cum copiis, quas habent, omnibus [via, quae per Umbros et Marsos ducit,] ad fauces [Anagniae] profecti
ex. oct. cum hostibus se coniungunt (App. 92).

a. 82 Pompeius [eadem via eos secutus] Samnitibus a tergo insistit (Plut. Su. 29)[81].

31. oct. Samnites progressu simul et regressu prohibiti Romam petunt, quam virorum et cibariorum inopia captu facilem putant, secundum App. et Eutrop. 8 cum septuaginta milibus militum, secundum Or. 20 et Vell. [popularium copiis adnumeratis] cum octoginta milibus (App. 92; Plut. Su. 29; Vell. 27; Sall. 40).

Sulla Balbum cum septingentis equitibus ad insequendos Samnites mittit (Plut. l. l.; cfr. App. 93).

Samnites [via Latina in Appiam profecti] in agro Albano circa duodecimum ab urbe lapidem castra metantur (App. 92).

nocte 31. oct./1. nov. Samnites noctu Romam versus castra movent et prope portam Collinam a stadiis decem ponunt (Plut. l. l.; App. l. l.)[82].

Die ineunte nobilissimi iuvenes ex urbe equis in Samnites invehuntur; quorum cum alii, tum Appius Claudius, nobilis vir bonusque, deiciuntur (Plut. l. l.).

Magno tumultu in urbe coorto Sullanorum primus Balbus cum equitibus citato cursu advehitur equisque refrigeratis ac statim frenatis impetum in hostes facit (Plut. l. l.).

Interim Sulla accelerato itinere cum omnibus copiis circa meridiem ad urbem advenit et prope portam Collinam ad aedem Veneris castra ponit (App. l. l.).

Pugna ad portam Collinam commissa (App. 93; Plut. Su. 29, 30, C. 6; Liv. 88; Flor.; Eutrop. 8; Or. 20, 9; Vell. 27).

1. nov. Sulla primos statim prandere iussos in acie

a. 82 1. nov. collocat atque Dolabella et Torquato quamvis orantibus, ne defatigatis militibus de summa rerum decertet, tamen hora nona (Or.) vel decima (Plut.) signum proelii committendi dat (Plut.).

Certamine facto dextrum cornu Crasso duce splendidissime vincit (App., Plut.). Sinistro laboranti Sulla auxilium fert suosque milites alios obtestando, alios minando inhibere conatur. Contrito tamen cornu sinistro Sulla fugientibus immixtus in castra fugit, sociorum et familiarium multos amittit (Plut.; cfr. Sall. 41).

Multi ad portas refugiunt, ubi senes quidam postquam hostes pulsis immixtos in urbem incurrentes viderunt, cataractas demittunt, quae delapsae multos milites, multos etiam senatores, qui spectandi causa ex urbe processerunt (App., Plut), opprimunt. Magna pars metu et necessitudine coacta iterum in hostes se vertit (App.).

Haud pauci ex fuga Praeneste deiecti Ofellam hortantur, ut Sulla sublato et Roma ab hostibus occupata celerrime ab obsidione recedat (Plut.).

Crassus hostes ad noctem usque Antemnas persequitur (Plut.).

Lamponius, Marcius, Carrinas, alii omnes Carbonianorum duces fuga salutem petunt (App.). Telesinus graviter vulneratur (Vell.). Albinus interficitur (App.).

Post primam demum horam noctis et Romana acies respirat et hostium cedit (Vell.; Sall. 42)[83].

Crassus Antemnis castra metatus ad Sullam mittit, qui cibaria postulent victoriamque indicent (Plut. Su. 30, C. 6).

Sulla adulta iam nocte cum Crassi victoriam

a. 82 acceperit, Antemnas profectus mane eo pervenit (Plut. Su. 30).

2. nov. Antemnis [nova de integro pugna exorta] postquam tria hostium milia per praeconem pacem poposcerunt, Sulla impunitatem eis promittit, si imposito prius reliquis hostibus damno ad ipsum veniant. Qui cum condicione accepta suos adorti sint, multi hostium absumuntur (Plut. Su. 30).

Utrimque ad quinquaginta milia hominum desiderantur (App. 82, 93; Flor.; Or. 20, 9).

Marcius et Carrinas e fuga retrahuntur. Telesinus semianimis reperitur, cuius caput abscisum cum Carrinatis, Marcii, Damasippi (Dio fr. 109), M. Marii Gratidiani, ducis ipsius fratris, senatorii ordinis viri (Or. 21, 8, 10; Sall. 43, 44; Cic. Brut. 168; Liv. 88), Sulla Ofellae mittit, ut palis infixa circum Praenestinorum moenia circumferat (Dio fr. 109; App. 93; Vell. 27).

3. nov. (Dio fr. 109; Strab. 5, 4, 11). Senatus Sullae iussu in aede Bellonae habetur, captivorum et dediticiorum inermium, quia maiorem partem Samnites sunt (App.), novem milia in villa publica contra fidem datam trucidantur[84]), Romanorum multi eis immixti una pereunt (Dio) (Liv. 88; Flor.; Or. 21, 1; Val. 9, 2, 1; Plut. Su. 30; App. 93; Dio fr. 109; Strab. 5, 4, 11; Dionys. arch. 5, 77).

In Italia post pugnam ad portam Collinam commissam Sullanos Norba (App. 94), Spoletium, Interamnium, Praeneste, Florentia (Flor.), Volaterrae, Aesernia, Populonia, Nola, alia oppida sustinent (Liv. 89; Granius Licin. p. 39 B.; Strab. 5, 2, 6).

nov. Praenestini oppidum Ofellae dedunt (App. 94).

Marius ne in manus inimicorum incidat, cum minore fratre Telesini, quocum per cunicula erum-

a. 82 nov. pit, mutua morte concurrit. Quo interfecto ipse leviter vulneratus cervices servo suo dat, qui domino occiso manus sibi ipse infert (App. 94; Diod. 15; Plut. Su. 32, Mar. 46; Liv. 88; Eutrop. 8; Or. 21, 8, 9; Vell. 27; Val. 6, 8, 2; de vir. ill. 68; Exup. 8; Strab. 5, 3, 11)[85]).

Marii caput ab Ofella Sullae missum iussu eius Romae pro rostris exponitur (App. 94).

Sulla Praeneste profectus omnes Marianae militiae principes, legatos, quaestores, praefectos, tribunos, senatores, quorum magnam partem iam Ofella interfecit, occidit (App. 94; Or. 21, 10).

Praenestinos Sulla primo singulos, deinde universos in iudicium venire iubet. Romanis et Praenestinorum perpaucis, quorum opera aliquando usus est, veniam dat; reliqui omnes inermes cum Samnitibus duodecim milia telis confodiuntur. Mulieres et liberos incolumes dimittit; opulentissimum oppidum diripit (Plut. Su. 32; App. 94; Liv. 88).

inc. temp. Norba oppidum, postquam diu totis viribus Sullanis restitit, a M. Aemilio Lepido noctu per proditionem expugnatur. Incolae oppido incenso mortem sibi ipsi consciscunt; quidquid praedae fuit futurum, igni absumitur (App. 94).

Felicitatem diei, quo Samnitium Telesinique exercitus pulsus est, Sulla perpetua ludorum Circensium memoria honorat, qui sub nomine eius Sullanae Victoriae celebrantur (Vell. 27; Ascon. in. Cic. in tog. cand. 89, 94).

b) Argumentatio.

[1]) Th. Reinach, Mithridates Eupator, deutsch von A. Götz (Lpzg. 1895), p. 199; H. Bernhardt, Chronologie der mithridatischen Kriege (Marburg 1896) p. 13, 14.

[2]) Kubitschek, Arch.-epigr. Mitt. aus Oesterr. 13 (1890) p. 88 sqq.; cfr. eundem Pauly-Wissowa 1, p. 638, 639 s. v. Aera.

[3]) Reinach l. l. p. 202; Bernhardt l. l.

[4]) Cinna et Carbo Sullam pacem cum Mithridate pepigisse nuntiato certe protinus bellum paraverunt, cum et quid Sulla in animo haberet de rebus Italicis ignorarent et ipsi ei in Graecia occurrere molirentur.

[5]) Reinach l. l. p. 203; Bernhardt l. l.

[6]) Quae sequuntur res ante novorum consulum in a. 84 designationem, quae multo ante kalendas ian. fiebat (cfr. adn. 9), evenerunt (cfr. App. b. c. 1, 77). Sulla igitur, si non protinus post pacem cum Mithridate factam, at certe brevi post legionum Fimbriae transitum ad senatum litteras misit, quod facere eum non solum oportebat, sed etiam necesse erat. Itaque Schwartzium non intellego, qui (Pauly-Wissowa 2, 1 p. 225) epistulam cum ceteris rebus c. 77 enarratis conexam esse neget.

[7]) Epheso usque Romam iter triginta vel summum quadraginta dierum erat, ut de postulatis Sullae, si legati eius epistula me iudice mense sept. data navibus in Italiam venerunt, ante exeuntem oct. in senatu agi potuerit.

[8]) Secundum Livium (per. 83) proximi anni (84) comitia consularia, senatus consultum de pacis legatis ad Sullam mittendis Cinnaeque interitus ante Sullae in Asiam transitum et belli Mithridatici finem cadunt. Quod non solum Appiani relationi, sed etiam notissimae illi rei, quae inter omnes constat, Dardani pacem a. 85 compositam, Cinnam a. 84 a militibus occisum esse repugnat. Rerum igitur, quem Appianus exhibet, ordinem verisimilitudine insuper commendatum Livianae memoriae anteponemus.

[9]) His rebus Th. Mommseni (Röm. Staatsrecht 1[3], p. 583) coniectura comprobatur consules inde ab a. 153 a. Chr. n. usque ad Sullae dictaturam mens. nov. creatos esse.

[10]) Ante medium apr. consules idoneam ad navigandum mari Hadriatico tempestatem haud facile nacti sunt.

[11]) Quae Plut. Pomp. 5 (cfr. Zonar. 10, 1) de Cinnae interitu memoriae tradidit, ab Appiani relatione plane recedunt. Pompeium enim in castris eius versatum, cum ob criminationes et calumnias ab aliis sibi instructas de vita metueret, clam e medio se subduxisse. Tum rumore adulescentem a Cinna esse necatum in castris exorto milites iam pridem infestis in Cinnam animis impetum in consulem fecisse et a centurione quodam, quem sigillo magni pretii protento corrumpere conaretur, eum obtruncatum esse. Sed iam Drumannus (Gesch. Roms 2, p. 590 adn. 78) hanc memoriam fabulam a Pompei assentatoribus fictam esse dicit, qua, quanto amore et admiratione ille iam tunc apud milites fuisset, demonstraretur. Atque profecto Pompeium, cum pro optimatium partibus staret, in popularium castris versatum esse omni probabilitatis specie caret.

[12]) Quod Cinna occiso tribuni plebis se Carbonem consulem, nisi ad comitia facienda Romam reverteretur, in privatorum civium ordinem redacturos esse ei indicant (cfr. Mommsen, Röm. Staatsrecht 1[3], p. 630), quodque comitia ultra solstitium dilata illis minime intercedentibus non habentur, inde colligi posse puto illis temporibus collegam ab altero consule sufficí solitum esse, si dimidium anni tempus nondum praeteriisset. Hoc eo confirmatur, quod apud Dionys. arch. 5, 57 iam ad a. 254 a. u. c. legimus 'Μανίου δὲ Τουλλίου θατέρου τῶν ὑπάτων τελευτήσαντος τὸν λειπόμενον χρόνον 'βραχὺν ὄντα' τὴν ἀρχὴν μόνος ὁ Σολπίκιος κατέσχεν'.

[13]) Cinnae mortis nuntio quattuor vel quinque diebus Romam perlato quattuordecim fere dies praeteribant, ut tribuni, quod Carbo, alter consul, Romae non adesset, admirationem haberent. Deinde legatis, qui ei minaces tribunorum litteras ferebant, quattuor vel quinque dierum Anconam idemque Carboni Romam proficiscendi spatium concedendum est. Tum trini nundini, in quod comitia indicebantur, rationem haberi oportet et rursus complures dies praeteriisse, dum ea ultra solstitium dilata sunt. Itaque interitum Cinnae, qui me iudice circa ineuntem apr. ad exercitum profectus erat, in in. mensem maium ponentes satis prope ad veritatem accedemus.

[14]) Quin Sulla assimulatae quandam placabilitatis speciem prae se ferens senatui condiciones facile recipiendas posuerit, non dubito. Nam Livii et Appiani rerum iudicia quod tam diversa sunt inter se, ex eorum diversarum partium studio pendet, quo fiebat, ut quae alteri lenissima alteri gravissima et acerbissima postulata viderentur. Quare eorum relationes cogitationibus quidem inter se differentes, re tamen copulatae altera altera supplendae et mutandae sunt.

[15]) Italici, quamquam lege Plautia Papiria a. 89 cis civitas data erat, tamen plenum civitatis ius nondum habuerunt. Nam ut libertinos in quattuor, ita novos cives, ne potentia eorum et multitudine veterum dignitas frangeretur, aut in decem novas (App. 1, 49; 53) aut

in octo ex 35 veteribus tribus distribuere (Vell. 2, 20) placuit. Sed ne hoc quidem re vera eis concessum est. Sulpicii lege a. 88 promulgata, ut novi cives libertinique in quinque et triginta tribus distribuerentur, tum demum a. 84 in eas recepti sunt (cfr. Mommsen, Röm. Staatsrecht 3, p. 179, 180).

Huius legis auctorem Carbonem fuisse certum est. Qui cum lenissima Sullae ratione Italicos captos vidisset, primo obsides ab eis exigere voluit, ut fidem obligaret. Quod postquam per senatum prohibitum est, civitate data eorum animos in suas partes ducebat.

[16]) Reinach l. l. p. 205; Bernhardt l. l. p. 13, 15.

[17]) Metellum, qui a. 83 ex Africa ad Sullam in Italiam veniret (cfr. adn. 29), a C. Fabio Hadriano a. 84 ex Africa provincia pulsum esse poni oportet.

[18]) Senatus consulto, ut omnes ubique exercitus dimitterentur, a Carbonianis Sulla et Metellus petiti sunt, qui, nisi senatus auctoritati obtemperarent, adversus rem publicam facturi viderentur.

[19]) Reinach l. l. p. 205 Bernhardt l. l.

[20]) C. NO in fast. cos. lapide ad a. 83 servatum est; rerum auctores C. Norbani nomen exhibent. Cuius familiam, quae in litterarum monumentis alibi nusquam commemoretur, non ex ulla gente Romana ortam, immo municipalem fuisse ex oppido Norba proclive est suspicatu. Unde eius incolae cur tanta animi desperatione et saevitia a Sullanis se defenderint oppugnatoribus optime explicatur.

[21]) Secundum Plutarchum (Su. 27) Sulla per Thessaliam et Macedoniam profectus Dyrrhachio Brundisium navigavit, secundum Appianum (79) cum classe e Piraeo Patras et inde Brundisium traiecit. Sed cum Dyrrhachii eum et classem fuisse rebus, quae ibi gestae sunt, constet, Plutarchum imperatoris, Appianum classis iter descripsisse in propatulo est neque habemus, cur duas scriptorum memorias non in unam coniungamus.

[22]) Crassus a. 84 in Hispania per octo menses intra speluncam in occulto se continebat. De Cinnae morte cum certior factus esset, exercitu contracto circum oppida profectus navibus in Africam traiecit seque cum Metello coniunxit. Quas ad res omnes gerendas tantum temporis ei opus fuit, ut tum, cum eo pervenit, hiems certe iam instaret. Quare eum a. 84 ad Sullam se contulisse nemo contendet, immo proximo anno, priusquam hic in Italiam transgrederetur, Dyrrhachium venit (cfr. Plut. C. 6).

[23]) Haec historicae fidei grana ex Sullae gloriosa illa narratione (cfr. p. pr. p. 21), cui posteriorum criminum excusationis ratio adiuncta fuerit, percipi posse mihi videntur.

[24]) Sullam triginta milia militum habuisse Velleius auctor est (24). Sed ex Appiano (1, 79), qui singulas exercitus partes enumerat, eum quadraginta milia duxisse pro certo poni potest.

[25]) Sullae, quem in. mart. ex hibernis profectum esse puto, per Thessaliam et Macedoniam iter milium circiter quadringentorum passuum faciendum erat. Quorum si singulis diebus plus minusve quina dena milia conficiebat, ex. mart. Dyrrhachium attigit. Sed cum copiis delectis, quas in itinere contrahere debebat, multo tardius processit. Qua de causa ante medium apr. eo advenire nequivit.

Naves ut e Piraeo eductae Maleam promunturium ante exortam bonam tempestatem circumveherentur, fieri non poterat. Quae si in. apr. solvebantur, c. medium mai. Dyrrhachium appulsae sunt a Sulla iam exspectatae. Neque autem Dyrrhachio, ubi eum diutius moratum esse e Plutarchi narratione (Su. 27) certo licet concludi, ante exeuntem mai. in Italiam transiisse videtur.

[26]) Optimates, quos attuli, omnes ad Sullam Brundisium se contulisse (vel antea iam in Asia aut Graecia apud eum fuisse) etsi a scriptoribus traditum non habemus, tamen inde colligere licet, quod hi posteriore tempore eius legati fuerunt.

[27]) Ad Tarentum Sullam proficiscendi moram interposuisse e Plut. Su. 27 emergere puto.

[28]) Sulla, qui ex. maio in Italiam transgressus 6. quint. ad Silvium castra posuerit (cfr. Plut. Su. 27), belli comparatione et optimatium adventu per mensem fere Brundisii retentus est.

[29]) Metellus secundum Plutarchum (Mar. 42, C. 6) a. 87 in Africam confugit, ubi eum versatum esse Livius (84) item testatur; secundum Appianum (80) in Liguriam profectus Sullae reditum exspectabat. Quare eum ex Africa pulsum in Liguriam se contulisse viri docti existimaverunt. Iniuria puto; neque enim res per se ipsa probabilis est, cum, quid inter Liguriae saltus appetierit et quomodo per totam Italiam media per hostium castra ad Sullam viam sibi fecerit, non intellegatur. Deinde gravissimum illud obstat, quod eodem tempore, quo Crassus a. 83 Dyrrhachium ad Sullam se conferebat (cfr. adn. 22), in Africa fuit (Plut. C. 6). Tum vero eum in Liguriam discessisse nemo erit, qui dicat. Appiani igitur verbis 'ἐν τῇ Λιγυστίδι' corruptela subest, quam aut librario cuidam aut Appiano ipsi crimini tribuemus. Ego 'Λιγυστίδι' in 'Λιβυστίδι' corrigendum esse puto, quod vocabulum apud Dionysium Per. 614, Appiani fere aequalem, occurrit, cum 'Λιγυστίς' in Eurip. Troad. 437 et apud Apoll. Rhod. 4, 583 reperiatur.

[30]) Appianus, quod de Sullanis hostibus iudicatis incendioque Capitolii memoriae tradidit, falso loco rerum ordini inseruit.

[31]) Ex Plut. Se. 6 consules, priusquam paludati exirent, comitia habuisse apparet, scilicet ne eorum causa ex acie Romam redire cogerentur. Itaque in hunc annum Appiani verba (c. 77) 'τοῦ μὴ διὰ τὰ ἀρχαιρέσια θᾶττον ἐπανήκειν' melius quadrant, quod a. superiore, cum

consules ad delectum proficiscerentur, comitiorum tempus iam adfuit (cfr. adn. 9).

[32]) Plutarchi verba 'ὃ (sc. Capitolii incendium) καὶ συμβῆναι τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ἧς ὁ ἄνθρωπος προηγόρευσεν' interpretanda esse 'quod re vera eo die factum est, quo homo ille praedixerat' tota temporum computatione a me constituta confirmatur.

[33]) Si Sulla via Appia per Campaniam ad montem Tifata profectus esset, Norbanus neutiquam Capuam eum praeterire passus ad Volturnum decertasset. Sulla enim et antea hanc urbem certe cepisset neque Norbanus post pugnam amissam eo se recipere potuit. Dum igitur Sulla Calorem et Volturnum secutus in Campaniam descendit, Norbanus, cuius Sullae iter in Campaniam intercludere maxime intererat, quique furculas Caudinas occupaverat, illum a via Appia declinasse nuntiato regressus est.

[34]) Apud Appianum (84) Sullae et Norbani acies ad Canusium concurrisse legimus, de pugna ad montem Tifata commissa nihil commemoratum invenitur. Ubi eos proelio dimicasse et omnium reliquorum auctorum consensu et dedicatione illa confirmatur a Sulla Dianae facta, cuius memoriam Vellei (25) temporibus et inscriptio templi (sc. Dianae Tifatinae) adfixa posti et tabula aerea intra aedem testabatur. Duabus autem rationibus scriptorum discrepantia explicari potest. Aut enim et ad Canusium et circum Capuam Sulla et Norbanus arma contulerunt aut apud Appianum falsam habemus memoriam. Sed ne duo proelia ponamus, illud obstat, quod unam tantum pugnam inter Sullam et Norbanum commissam in omnibus fontibus enarratam repperimus. Pro Appiani igitur 'Κανύσιον' nihil loquitur, nisi quod hoc vocabulum in eius verborum contextu sit; contra vero dicenda sunt gravissima haec argumenta, quibus illud minime stare posse apparebit. Atque primum quidem quomodo exercitum ad Canusium pulsum atque fugatum Capuam 'se recepisse' dici possit, haud intellegitur. Deinde Norbani exercitus si ad Canusium castris positis locum cepisset, quo Sullam appropinquantem exspectaret, semper in periculo versatus esset, ne a Pompeio ex agro Piceno adveniente opprimeretur. Tum Sulla non Appia via per Tarentum et Silvium, immo recto itinere secundum oram maritimam Canusium castra movisset. Denique eius ipsius testimonio (Plut. Su. 27) victoria ad montem Tifata reportata effectum est, ne milites per oppida diffugerent, immo hostes multo plures contemnerent, qua ex re victoriam ad montem Tifata partam Sullanorum primam fuisse elucet. Postremo numeris pugna inter eum et Norbanum interfectorum afferendis Appianus, Plutarchus, Livius ita inter se consentiunt, ut eos de una eademque pugna agere appareat.

Iure igitur aut Appianum 'Κανύσιον' cum 'Κασιλῖνον', oppido non procul a Capua ad Volturnum flumen sito, confudisse aut discrepantiam illam librariorum culpa exortam esse viri docti opinantur (cfr. Drumann, Gesch. Roms 2, p. 459 adn. 85; Klebs l. l. p. 22; Arnold, Untersuchungen über Theophanes von Mitylene und Posidonius von Apamea, Jahrb. f. Phil., Suppl. 13, 1884, p. 108; Busolt l. l. p. 435).

[35]) Silvio usque Capuam via Appia iter c. 130 mpm. est; tum Benevento per Caloris et Volturni vallem usque ad montem Tifata idem fere spatium percurrendum est, quod Appia via. Hoc iter Sulla totum quattuordecim diebus conficere potuit; quare iam ante ex. quint. cum Norbano manus conseruit.

[36]) Angustiis ipsis inter montem Tifata et amnem Volturnum interiectis factum esse puto, ut non rectam militum aciem Sulla constituere posset (cfr. Plut. Su. 27).

[37]) Quod ad numerum utrimque caesorum attinet, iam Klebsius l. l. p. 22, 23 satis superque de scriptorum harum rerum discrepantiis disseruit, ut sterilem hunc agrum mihi iterandum esse haud existimem. Tamen ut aliquid addam, magnus hostium interfectorum numerus inde quoque explicandus erit, quod adversariorum vulnerati semper fere post pugnam occidebantur, victores suorum sauciatos curabant.

[38]) Iunius ille Diodori (38, 9), quem Plutarchus (P. 7) Bruti cognomine significavit, L. Iunius Brutus Damasippus (cfr. adn. 63) est, non M. Iunius Brutus, qui tribunus plebis (Cic. de leg. agr. 2, 89 sqq.) a. 83 ex urbe discedere non potuerit (cfr. Mommsen, Röm. Gesch. 2^{8}, p. 322).

[39]) Sullae victoria a Norbano reportata popularium duces, ut e Piceno se reciperent, et Scipionem, ut in Campaniam succederet, commotos esse persuasum habeo.

[40]) Teanum Sulla a Capua duobus vel tribus diebus cum exercitu pervenire potuit. Sed priusquam castra moveret, complures dies ad interfectos sepeliendos copiasque reficiendas consumpti sunt. Ante igitur ineuntem sext. cum Scipione certe nihil egit. Deinde quoad condiciones satis conveniebant Sertoriique Suessana expeditio finita erat, rursus aliquantum temporis praeteriit ita, ut consul post medium sext. ab exercitu suo derelictus esse videatur.

[41]) 'Πῶς δ' ἄν τις πιστεύσειεν αὐτῷ' (Dio fr. 107, 3 B) indicante Gutschmidio (Kl. Schr. 5, p. 558) verba sunt ex oratione Sertorii desumpta. Neque vero, ut sententiam Gutschmidii Boissevain (Dio p. 350) interpretatur, ex ea oratione, qua in contione militum Scipionem ducem eorum defendat, a quo se Sullae proditos esse existimaverint. Equidem verba esse puto, quibus Scipionem Sertorius in colloquia convenire vetuerit.

[42]) Cfr. C. I. L. 10, 4751; Dessau, inscr. lat. sel. 1, 870, 'L. Cornelio L. f. Sullae Feleici imperatori publice'. Quem titulum Suessae repertum positum esse, antequam Sulla dictator crearetur i. e. ante finem a. 82, Dessau adnotavit.

43) Sertorium Suessa capta ad Scipionem rediisse ex Dionis fr. 107, 2 apparet.

44) Secundum Vell. 25 Sertorius a Sulla captus incolumis dimissus est. Cui memoriae refragatur, quod Exuperantius 7 eum, qui Sullae iram metueret, in Etruriam confugisse dicit. Sulla igitur, ad cuius commentarios tota Vellei relatio referenda est, hoc loco veritatem, ut gloriam augeret, mendacio contaminavit.

45) Scipionem iterum arma cepisse insuper et ex App. c. 95, ubi Sulla de perfidia eius ad populum verba facit, et inde concludere possumus, quod postea a Sulla proscriptus Massiliam in exsilium ivit (Or. 21, 3; Cic. pro Sest. 7).

Qua Scipionis perfidia iratus Sulla ita alius factus ac plane commutatus est, ut posteriore tempore non iam aequis condicionibus bellum componere studeret, immo, quin res sibi armis cum hostibus gerenda esset, haud dubius nemini omnium, qui eorum partium erant studiosi, veniam daret et impunitatem (cfr. App. 95).

46) Ineunte sept. Scipio certe iam tantas copias contraxerat, ut contra Pompeium proficisci posset, quia diutius moratus a Sulla oppressus esset. Ad iter in agrum Picenum faciendum decem vel quattuordecim diebus opus erat ita, ut c. medium sept. cum Pompeio congressus sit.

47) Sulla, quem rebus a Pompeio in agro Piceno gestis interfuisse nusquam commemoratur, tum demum eo advenisse videtur, cum iam decertatum erat.

48) Secundum Appianum (86) 'μέχρι τὸ λοιπὸν τοῦ θέρους ἑκατέροις ἐς ταῦτα ἀνηλώθη' res armis geri praemature desitae sunt.

49) Anno 83 in Italia septentrionali permultos milites conscriptos esse ex eo quoque apparet, quod ibi iam vere insequentis anni popularium duces sat magnis copiis instructi certamina inibant.

50) E Campania et agro Piceno Sullani posteriore anno ad bellum proficiscebantur; quare, quin ibi hiemaverint, dubium non est.

51) Quot annos natus Marius consulatum inierit, accurate dici non potest. Apud Livium enim (86) C. Marium, C. Marii filium, consulem ante annos XX per vim creatum esse legimus, secundum Vell. (26) annos XXVI, Anonym. de vir. ill. 68 et App. (87) a. XXVII natus fuit. Recte igitur Klebsius l. l. p. 23 Livii illud XX corruptum mutandum esse in XXX putat, quod Marium ut plus viginti ita minus triginta annos natum fuisse certum sit. Deinde Fast. cos. cap., Liv. 86, Eutrop. 5, 8, Anonym. de vir. ill. l. l., Plin. 33, 5, Diod. 38, 15 Marius Marii filius nominatur; Appianus (87) solus consulem 'Μάριον ἀδελφιδοῦν Μαρίου τοῦ περιφανοῦς' fuisse dicit, quamquam eum in c. 60, 62 'Μαρίου παῖδα' et 'υἱὸν αὐτοῦ Μαρίου' appellat. Sed iam Busoltius p. 434, 435 adn. Appiani c. 60, 62 longe ex alia dissensionum civilium parte, Sulpicianarum turbarum descriptione, desumpta esse monuit; contra

in c. 87, ubi de Marii consulatu ageretur, originem eius accuratius significari necesse fuisse, qua eadem de causa etiam annos esse ascriptos. Summo igitur iure C. Marius, patruelis Marii maioris, ab hoc adoptatus esse putatur.

52) Circa Clusium posteriore tempore gravissima quaeque pugna commissa est neque Sulla inde longius procedere potuit. Hoc igitur oppidum in Italia septentrionali popularium belli caput et arx fuit (cfr. App. 89).

53) Cum hiems frigidissima fuerit (App. 87), veris initium ante ineuntem martium haud ponendum erit (cfr. Unger, Frühlings Anfang, Jahrb. f. Phil. 141 (1890), p. 155).

54) Incolae Galliae Cisalpinae usque ad pugnam apud Faventiam commissam pro popularium partibus stabant. Unde quod consules novos semper exercitus colligere poterant Hispaniamque sibi habebant coniunctam, Sullanorum hunc agrum in dicionem suam redigere permultum intererat, praesertim cum eo capto Etruriam quoque in manibus ac potestate haberent.

55) Carbonem, qui pugnae ad Aesim commissae non interesset, tum in Etruria fuisse bello parando occupatum, progressu vero Metelli cognito protinus in agrum Gallicum castra movisse sumendum est.

56) Carrinas posteriore tempore Carbonis legatus est.

57) cfr. Cobet, collect. crit. p. 587.

58) Sulla cum Setiam caperet (App. 87), certe via Appia exercitum in Latium induxit, ex qua, ut et Praeneste et Romam oppugnaret, facere posset. Dolabellam autem via Latina profectum esse inde concludi potest, quod Marius a Setia pedem rettulit illo credo appropinquante, quem 'ἄπωθεν στρατοπεδεύοντα' Sulla, antequam proelium cum Mario consereret, arcessivit (cfr. Plut. Sull. 27; adn. 67).

59) Marius secundum Appianum (87) usque Sacriportum Sulla urgente regressus est ibique cum pugnam commisisse reliqui omnes consentientes memoriae tradunt scriptores. Qui Sacriportus ubi situs fuerit, ex Plutarcho (Su. 28) et Appiano accuratius definire possumus. Etenim cum secundum Appianum Sulla pulsum Marii exercitum usque Praeneste 'σὺν δρόμῳ' persequeretur, Sacriportus sine dubio non longe ab eo oppido distabat. Ad hoc apte quadrat, quod Plutarchus Sullam ante pugnam apud Signiam locum cepisse testatur. Itaque inter Praeneste et Signiam Sacriportum quaerendum esse manifestum est, ex quo loco et viam Latinam contra Dolabellam et viam ex Appia Praeneste ducentem contra Sullam Marius in dicione habuerit.

60) Secundum Appianum (88) Marius Damasippum post pugnam ad Sacriportum commissam optimates occidere iussit, ex omnium aliorum huius rei auctorum memoria hoc ante eam factum esse apparet. Atque primo quidem obtutu Appiani relatio probabilior est, non item, si diligentius eam examinamus. Ante omnia enim illud perpendendum est

Sullanas copias Praeneste oppidum post victoriam tamquam vallo circumdedisse, quo omnis Marii cum urbana factione litterarum communio intercluderetur. Neque deinde post Marianorum cladem proxime ab urbe ad Sacriportum acceptam Sullanos Damasippi dicto audientes fuisse et omnino populares eas caedes facere ausos esse ullos in se habet veritatis numeros. Marius igitur mandatum optimatium interficiendorum ante pugnam dedit (cfr. p. I, p. 17).

61) Plutarchus praeter primarium fontem etiam secundarios inspexit, quorum Fenestellam nominatim affert. Qui quod Marium inter pugnam ad Sacriportum commissam 'ἐξ ἀγρυπνιῶν καὶ κόπων' somno se dedisse narrat, non re solum, sed verbis fere cum eo congruit, quod Anonym. de vir. ill. 68 tradit Marium apud Sacriportum 'vigiliis et labore defessum' sub divo requievisse et absentem victum fugae, non pugnae interfuisse. Quae narratio aut ad eundem Fenestellam aut ad auctorem eius revocanda quomodo orta sit, dicere nequeo. Nam quod Arnoldius l. l. p. 109 eam a Sulla invidiose inventam sibi videri contendit, hoc minime fieri potuisse ex eis, quae de Plutarchi fontibus exposui, apparere puto (cfr. p. pr. 22 sqq.). Sulla enim postquam a Mario se petitum esse rettulit, si eum quieti se tradidisse narrasset, totam rem in contrariam vertisset.

62) Crassus ante Marium profligatum in Marsos iter facere conari non potuit; nam vel Mario devicto secundum Plutarchum (C. 6) per 'hostes' perrupit.

63) Inter rerum scriptores discrepantia exstare videtur de nomine praetoris, quem Appianus (88) Brutum, Livius (86) L. Damasippum, Orosius (20, 4), Velleius (26), Valerius Maximus (9, 2, 3) Damasippum appellant, quod nomen etiam apud Appianum (92) bis occurrit. Sed Bruti et Damasippi nominibus eundem virum ab eis significari iam Klebsius l. l. p. 24 et Arnoldius l. l. p. 108 cognoverunt. Hic tamen propter nominum varietatem Appianum capiti 92 alium atque c. 88 ontem subiecisse opinatur. Quod falsum esse cum ex iis, quae p. I, p. 18, 19 de Appiani fonte attuli, elucet, tum hic easdem personas non solum in diversis fontibus diversis invenit nominibus appellatas, immo hoc in uno eodemque fonte fieri potuit. Atque praetori nomen fuisse L. Iunium Brutum Damasippum unusquisque concedet, ut Schol. Cruq. Hor. sat. 2, 3 inter Iunios fuisse Damasippos testatur (cfr. Drumann, Gesch. Roms 4, p. 49).

64) Cfr. p. I, p. 18.

65) Sulla si mature in. mart. ex Campania proficiscebatur, octo vel decem diebus Setiam pervenit, ut post medium mart. hoc oppidum expugnaverit. Deinde donec Marius Sacriportum regressus castra munitionibus firmaverat atque Sulla ad dimicandum accesserat, nonnulli dies rursus praeteribant; quare pugnam ad Sacriportum commissam in exeuntem mart. ponentes verum assequemur.

66) In agro Gallico per totum mensem martium armis conflixerunt. Nam cum Marius ad Sacriportum superaretur, Carbo Metellum obsidebat (App. 87); Marii autem clade med. credo apr. nuntiata eum reliquit. Ad Praeneste vallo et fossa circumcludendum, ad Romam proximaque loca occupanda, ad ordinandas res urbanas Sullae mensis tempore certe opus fuit, quo etiam reliqua in agro Gallico proelia committebantur; ante igitur med. maium exercitum in Etruriam minime induxit. Tum ad Clanim fluvium et Saturniam milites septem vel decem diebus castra moverant ibique in. iun. signa cum hostibus conferre potuerunt. Donec vero inter Carbonem et Sullam ad Clusium pugnabatur, rursus aliquid temporis praeteriit.

67) Alias Sullanorum copias via Clodia in Etruriam ingressas esse inde concludi potest, quod ad Clanim fluvium et Saturniam eodem tempore proelia facta sunt (cfr. App. 89).

68) Carrinas et Marcius brevi post Carbonis in Etruriam adventum cum Pompeio conflictantur (cfr. App. 90); quare una cum Carbone in Etruriam venisse putandi sunt.

69) Sullanos in Etruriam processisse nuntiato Carbonis quam celerrime eo pervenire maxime interfuit atque via Flaminia a Pompeio et Metello interclusa haud dubie Forum Livii, inde Apenninum transgressus per Florentiam, popularium oppidum (Flor.), Arretium versus contendit.

70) Sullam proelium cum equitibus Celtiberis eo loco commisisse opinor, quo Clanis fluvius proxime ad viam Cassiam accedit. Carbo ipse, qui nondum advenisset, pugnae illi non interfuit

71) Cum posteriore tempore Metellus contra Carbonem et Norbanum, qui ab Arimino appropinquarent, castra ad Faventiam haberet (App. 91; Liv. 88; Vell. 28), hoc oppidum in manibus eius fuisse apertum est. Neque minus dilucide apparere puto Fidentiam fuisse optimatium, Placentiam popularium castra, quod Sullani scriptores pugnam inter Lucullum et Quintium commissam Fidentiae nomine, Appianus, popularium auctor, Placentiae significent. Ergo ager inter Faventiam Fidentiamque situs Uritanus ille erit, quem Metellus occupavit (App. 89).

72) Postquam Carbo Arimino discessit, Pompeio et Metello in agro Gallico nihil negotii fuit. Qua de causa Metellus Galliam Cisalpinam, Pompeius cum Crasso coniunctus Etruriam petivit.

73) Propter Sallustii verba 'magnis operibus perfectis' Maurenbrecheri coniecturae Catilinam exeunte anno Ofellae subsidium tulisse non adstipulor.

74) Carrinas circum Arretium a Carbone ad Pompeium Etruria prohibendum abiisse videtur. Itaque apud Clusium et Spoletium eodem fere tempore pugnatum est.

[75]) Florus 'Etruriamque' (eturiamque cod. B) de suo addidit.

[76]) Samnites post medium quint. in Campaniam invasisse puto. Marcii igitur expeditio ad Marium obsidione liberandum, ni fallor, eodem tempore ac Samnitium facta inter medium et exeuntem quint. cadit.

[77]) Capuanum illum ducem ab Appiano c. 90 Guttam appellatum eundem esse, quem c. 93 'Albinum' nominat, iam Drumannus l. l. 2, p. 467 et Arnoldius l. l. p. 108 cognoverunt.

[78]) De M. Perpernae expeditione aliunde plura non habemus comperta.

[79]) Cfr. App. 91: 'περὶ τὰς αὐτὰς ἡμέρας'.

[80]) In App. c. 92 Carbonem duas legiones cum Damasippo duce Praeneste misisse scriptum legimus. Quod cum popularium exercitu ad Faventiam pulso atque fugato ab Arimino fieri non posset, Carbonem cum mille illis militibus APPHΓION (sic codices habent) i. e. 'Αρρήτιον fuga petiisse, unde in. sept. Clusium perveniret, existimo. Neque igitur Eutropii (5, 8) relatio Carbonem ab Arimino in Siciliam fugisse ad verbum accipienda erit. Norbanum autem usque ad ex. mensem sext. in Gallia Cispadana moratum esse ex omnibus quae ibi gestae sunt rebus colligi licet.

[81]) Quaeritur, qua via popularium copiae et Pompeius ex Etruria in Latium pervenerint. Qua in re Plutarchi testimonium (Su. 28) Pompeium Samnitibus a tergo imminuisse summi momenti est. Etenim si via Cassia exercitum in Latium induxit, Samnites ei terga minime obverterunt. Itaque Pompeium ex Etruria, ubi in via Cassia popularium duces Latii aditu arcuisset, ut per Perusiam, Interamnam, Albam Fucentiam secundum Lirim et Tolerum fluvios proficisci deberent, eadem via eos secutum esse puto.

[82]) Plutarchus (Su. 29) Samnites una nocte Romam profectos esse tradidit. Neque vero hoc iter ex Anagniae regione tam brevi tempore conficere potuerunt. Atque profecto Appianus, popularium scriptor, duorum castrorum, quae in agro Albano et ad urbem posuerint, mentionem facit (cfr. c. 92, 93).

[83]) Secundum Appianum (93) pugna ad portam Collinam per totam noctem continuata est; secundum Velleium (27) nocte appetente hostes dimicare cessabant. Qua in re nos Vellei relationem sequemur, cum ad Sullae commentarios redeat, qui rerum gestarum ipse sibi optimus fuerit testis.

[84]) Klebsius l. l. p. 26, 27 Livium de tribus milibus dediticiorum et sex captivorum locutum esse ex Plutarcho concludi posse existimat, id quod auctor periocharum minus diligenter redegerit in haec verba:

VIIII (sic corrigendum esset) dediticiorum etc.

Ut vero Orosius postquam seorsim de dediticiis disputaverit, id quasi oblitus praeterea etiam novem milia occisa esse afferat, ita Plutar-

chum contrarium errorem admisisse, cum omnium numerum sex milia fuisse opinatus esset, quamquam sex milia ad deditícios accederent.

Qua in re Klebsius rem acu tetigit; nam et Livii compilatores et Plutarchus ad Sullanum fontem redeunt, in quo duo illa trucidatorum genera distincta fuisse veri est simillimum.

[85]) De Marii exitu tres relationes exstant. Secundum enim Velleium (27), Livium (88), Plutarchum (Su. 32) per cuniculos erumpere conatus a dispositis in id ipsum militibus interemptus est vel manum ipse sibi intulit. Deinde Diodorus (15) et Appianus (94) eo consentiunt, quod illum in fossa subterranea mortem sibi conscivisse tradunt atque secundum quidem Diodorum servi cuiusdam auxilio. Tum Orosius (21, 8, 9) et Valerius Maximus (6, 8, 2) (cfr. de vir. ill. 68) Marium et minorem fratrem Telesini, ne in manus inciderent inimicorum, mutuis ictibus concurrisse enarrant, Marium vero leviter vulneratum cervices servo suo praebuisse.

CONSPECTUS ARGUMENTI.

NOMINA PROPRIA.